





CASPARIS DORNAVI
PARALLELA
Morum Seculi,

Hoc est,

DISSERTATIO,

Quâ probatur: vitia nostræ tempestatis,
prisci item ævi fuisse;

Habita

In Illustri Bethanéo Silesiorum
ad Oderam

*Ipsa Inaugurationis suæ die XIIIX Augusti
Anno C I C I C CXVI.*

GORLICII

JOHANNES RHAMBÆ EXCVDEBAT.

ILLUST. ET GENEROS. DOMINO,
DN. GEORGIO
L. BAR. A SCHÖNAICH,
Domino Bethaniæ, Carolati,
Milkaviæ, &c.

Sac. ^z Cæs. ^z Majest. ^{tis} Consil. ^{tio}
Ducatum Silesiæ & Marchion.
utriusq; Lusatiaæ Cancell. ^{tio}
Magnifico

Patrono suo obsequiose
462941 colendo

Has primitias sub Belli quercio literario
sx-2005 1951/natas, L. M. Q.
312 [250,-] offert
4.11.2005

CASPAR DORNAVIUS

ἀρετὴ καὶ χάρις.

Am cui potius hanc orationem
fas est consecrare , quām Illustri Tuō
nomini , M A G N I F . P A T R O N E ?
Nata mihi quippe est sub cælo Tuō ;
dictaq; publicitūs in ūbra Bellissimæ Tuæ Quer-
cus : sub qua me , dudum accersitum , plantare
jussisti ac rigare : ut , Deo incrementum largien-
te , Gymnasium Tuum in spem Ecclesiæ atq; Rei-
publice feliciter , quod facit haec tenus efflorescat .
Quod si ergo migrassem officij leges : & quidqd
est munusculi hujus chartacei , alij cuipiam nun-
cupassem : sanè deliquissem in nominis Tui di-
gnitatē , & jus loci , & contra æquitatē ipsam ,
contraq; consuetudinem priscarum gentium .
Scitum est enim ex antiquitatis memoria : rerū
omnium primitias ; sive obstetricante naturā
editas , sive quodam quasi ingenij partu ; offerri
Deo Tutelari consueuisse . Eum ego , juxta cum
modestè divinantibus , non Deastrum aliquem ,
in tanta Divorum multitudine ; sed hominem
fuisse ex Magnatibus quendam , ditionis Domi-
num Patronumq; auguror . Ex quo , opinor ,
pro judicij Tui acrimonia facile prospicis , qui

P R A E F A T I O.

cætera perspicis: ipsam necessitatem (sed cui la-
tus lubens pareo) imposuisse mihi: ut, quod in
hoc nuncupationis officio cum pudore facie-
bam, facerem tandem etiam cum animi confi-
dentia: quæ generosis mentibus, in quibus Tu
familiam ducis, accidere sèpè solet jucundissima.
Ut verò ita res sub manu succedat: quemadmo-
dum mihi præsagit animus, certus Tuæ in me fa-
cilitatis, gratiæ, benignitatis, clementiæ: per has
ipsas virtutes, quæ consuetudine quadam Tibi
abierunt in naturam, appello Te: sed & veneror.
Quod si facturus es (facies autem, sat scio) ad
duo me officia proniorem reddes atq; alacriorē.
Nam posthac, si quæ sunt, ingenij vires in eodem
argumento explicabo; planumq; faciam alijs ra-
tionibus, ex contentione antiquitatis cum no-
stris operis: non modò non deterius esse secu-
lum nostrum; sed nimirum etiam multimo-
dis felicius tempestate prisorum. Est enim in-
scitiæ, lenissimo verbo dicam: ita nunc æstima-
re naturam sterilem, ita effœtam viribus: ut ni-
hil pariat, quod divinitate dignum censeatur.
Imò etiam, dictione graviori si licet uti, in re gra-
viori:

P R A E F A T I O.

viori; impij sunt in Deum, qui obviam ejus, &
ferè manibus palpabilem, aut non vident potentia-
tiam nostro seculo: aut verbis extenuant boni-
tatem. Quis enim, testor veritatem; quis ita e-
nervavit unquā brachium Domini? ut neque-
at præclarissima quæq; omni ævo excitare. Aut
detepuisse forteā ejus videtur misericordia; quâ
conservaturum se opus suum, ipse immutabilis
promisit? Deinde etiam hoc mihi promptiùs
agendum censebo, gratiæ Tuę face quodammo-
do inflammatus: ut Spartam abs Te mihi, sine
ullo meo ambitu, commissam, majori fide, in-
dustriâ haud minori, ornare queam. Evidem
non sum ita rerum peregrinus, ut ignorem: dif-
ficia esse pulchra, nova præsertim; cùm primi-
tus est secunda glacies: neq; ita mihi ipsi blan-
dior Suffenus: quasi ego præ alijs aptissimè te-
neam officia omnium ordinum, quæ in hoc no-
vo Professionis genere tradenda juventuti veni-
ant. Illud tamen, quod de me pollicear, habeo:
opprimi me onere provinciæ malle: quæm com-
mittere; ut vel conatum mihi, vel fidem defu-
isse, quisquam mortalium cōqueratur. Verūm

P R A E F A T I O.

de hac re omni , deq; novæ Professionis ratione
paulò pòst erit differendum. Ego, quod semper
fuit, est, eritq; efficacissimum ; Neum supplex
adoro : ut, quod salutare in nobis cœpit opera-
ri hactenus ; benedictione suâ porrò coronet.
Idem Tibi, G E N E R O S. D O M I N E, crudam lar-
giatur, diuturnam atq; vigentem senectutem :
ut sub lætissima latissimaq; Tua Quercu, cum so-
latio quodam , & interiore cordis tripudio, ex-
perimento Tuo agnoscas : quid sit Deo com-
modare pecuniam in fœnus : unde juventus à
Voluptatis via regia, ad Virtutis calle deduci
queat. Faxit hoc idem ille Sospitator : in cuius
manibus est potestas

Tuiq; misq; & omnium mortalium.

Bethania Idibus Octobris Anno C I C I C X V I.

Viro Excellentissimo

Dn. CASPARI DORNAVIO.

Quid mihi, DORNAVI eternam dignissime Lauro,
Egregie assimilas secula prisca novis?
Usq; ego deploro nostrum quo affligimur avum,
Quosq; vides tristi transigo mente dies.
Fas omne abruptum, Pietas toto exultat orbe,
Et Lux tartareas vertitur in tenebras.
Haut ea qua nostro passim ardent sidera seculo
Addiderant priscis lumina Lampadibus.
Plenius omnipotens nostris innovuit annis,
Effuditq; suas totus Olympus opes.
Proh pudor illa tamen sanctissima summa salutis
Perverso à multis negligit genio.
Illi adeò noctu, nos ipso in sole profanis
Exemplis vita conficimus spatium.
Fallor: an in justa seclorum lance, referre
Prateritum ad praesens cum ratione licet.

Amicissimæ observantiz igitur misit
Basilea prid. Kal. Aug.

C I C I O C X V I .

Joan. Jacob. Grafferus
Com. Pal.

De

C A S P A R I S D O R N A V I

Viri Celeberrimi

Oratione Inaugurali,

A D L E C T O R E M .

Præsentis querimur delicta gravissima seculi,
Oraq; plena dolis, cordaq; plena mali.

Oho-

Obominum mores! O nullo secula seculo
Pejora! è vulgi fors grege clamet homo.
As secus historias quarentem tempora formant;
Et mala qua nunc sunt, antè fuisse, docent.
Eruis è priscis DORNAVIS acta malorum,
Et veterum seculis secula nostra probat.
Dispice tu proprius, LECTOR, verumq; fatere:
An, qua nunc sunt, facta fuisse, neges.

Caspar Cunradus Phil. & Med.D.

Ad
Nobil. & Excellentiss. Virum, Dn. D. CASPARUM
DORNAVIUM, Philosoph. Med. Orator. & Poëtam
Cl. Dn. & Amicum veterem, Collegam
honorand.

HAEc vox in trivij sjàctatur publica vulgo:
Quanta hodie est scelerum copia, nulla fuit.
Nuga! Mundi eadem Larva est: & lerna malorum,
Qua nunc est hodie, non minus ante fuit.
Scilicet exhausta Pandore pixide, virtus
Maturè & Bonitas, deseruere solum.
Manserunt vero vicerum mille cohortes,
Quas fuit Antiquus caca libido sequi.
En Larvam, modò quamprisco DORNAVIS avo
Detrahit! hec nonne est, qua tua nunc hodie est?
FAS juro atq; FIDEM; si non est fadior ista,
Larva illi atq; isti, theta equidem parile est.
Officiosi affectus ergo f.

Balth. Exnerus de Hirschberga,
in illustri Schönaichiano Betha-
néo Historiar, Professor P.

CASPARIS

Æ. Æ.

CASPARIS DORNAVI PARALLELA MORUM SECULI.



*I mihi contingenteret, Magnifici,
Generosi & Nobilissimi Domini, Viri
Reverendi, Excellentissimi, Amplissimi,
Clarisissimi, Præstantissimi, Tuq[ue] litera-
ria & juventutis corona ornatisima: Si,
inquam, mihi tam propitio contingenteret
uti numine: ut perinde obtinere ipsâ re possem & operâ;
quod desiderio quodam interiore expeterem: optarem sa-
nè, non divitias Scopadum, exemplo Critie; nec, more
Octavi, fortunam Cæsaris; nec ut spectator cum Augu-
stino fierem Romæ triumphantis: sed ut illud à Vobis im-
petrarem; quod Hercules olim in Gallia Celtica, magnâ
cum admiratione omnium, pari felicitate, consecutus fuit.
Eum memorant, qui fabularum involucris tradiderunt
proprietates rerum; ex ore suo emisisse catenas aureas, an-
nulis suis confertas arctè; quæ ad hominum aures hinc in-
de pertigerint: ijsq[ue] deduxisse populos, quò voluerit; quò
noluerit, abduxisse. Hoc lepido sanè commento, atq[ue]
ad docendum perquam apposito, nihil aliud memoriae no-
bis proderet voluit antiquitas; nisi, quod res docet: nullâ
arte promptius & moveri, & permoveri, & omnino ex-*

B

pugna-

pugnari animos mortalium posse: quam dicendi ejusmodi
facultate; quæ cum amabili gravitate, & gravi amabilitate
in auditorum sensus influat; in pectorum recessu inspi-
deat. Idem si mibi concederetur donum divinitus; non
dubitarem, eum in mentibus vestris excitare motum:
quo & oratio mea grata Vobis videretur: & me ornandum,
meaque omnia putaretis tuenda; hoc præsertim auspi-
tali tempore. Fallor enim ego; aut more hominum ac-
cidit: quod plerique mortalium non modo ex sermone alicuius
censuram ferunt de omni ejus doctrinâ, usu, moribus:
sed insuper ex primo statim congressu potent, illustre ali-
quod oportere monumentum confici; unde qualis qua-
tusve sit, appareat: haud secus atque vestibula arcium
splendida esse deceat. Ego verò quomodo hanc opinio-
nem vel concitare valeam, vel sustinere; juxta cum igna-
rissimis scio. Nam nec ita bene agitur cum humano ge-
nere; ut votis conficiantur res nostræ; quas supra nos di-
sponit vis major: nec ego ingenij dotibus, hanc cathedram
conscendi, ornatius ad munditiem usque: nec à doctrinae præ-
sidij me instructum, ut par foret, sentio. Itaque non est,
quod spe mibi ullâ præsumere ausim: me dicendo vel auribus
vestris, vel animis, utrisque purgatiissimis, posse satisfa-
cere. Quid ergo? decadendum mibi ab hoc studio, quod
vix, ac ne vix quidem ingressus sum? Non opinor faci-
endum. Est enim ingenui hominis: non statim abiçere
animum; si quid minus omni parte contingere magnificè
possit:

PARALLELA MORUM SECULI.

poſſit: Et vos novi, ita acceſſiſſe præparatos à benevolen-
tia, atq; ita vobis cum ratiocinari: minimè eſſe omnia ſita
in ſublimi illa eloquentia; que pauciſimis ſe eò induſſit, ut
tot a contingere: ſed quandoq; etiam laudi dari; in mediocri-
tate, imò dicam vobis aſſentientibus, in fra mediocri-
tatem ſuſtituiſſe. Cenſurę bujuſ benignitatem dum mi-
hi ab animis veſtris liberaliſſimis pollicetur; omnem metū
deponam: Et quod mihi proposueram argumentū; ſic veſtriſ ſuſtijciam cogitationibus: ut perſpicere poſſitis; quan-
topere fallantur illi: quibus nihil eſt ſolemnius ferē, Et in
quo magis jaſtetur eorum ſermo: quam deplorare ſeculi
noſtri conditionem p̄ illa, que priſcis olim confeſſa fue-
rit. Sic enim erroris opinione iaducuntur plurimi; ut
credant, teneantq; mordicus: noſtri duntaxat mores eſſe
depravatos; noſtri ſeculi eſſe de honestamenta propria:
veteres omne commercium cum Virtute habuiffe. Quaſi
non eadem ſemper hominum deprehensa fuerit indeoles;
naturaeq; ad vitia proclivis nimium facilitas. Ergo ſi pla-
num fecero vel priſcorum optimorumq; autorum verbiſ,
vel adumbratā, aut etiam quadantenus expreſſā anti-
quitatis facie: nihil eſſe ſub Sole novi; ſemper viſam mun-
di eandem larvam: neq; nunc in vitio quidquam nume-
rari, quod antiquis olim inſolens fuerit: nonne obtinebo
apud aequiſſimos Veſtris animos, orator impetrabilis? ut
ex illis eyciatis, ſi quam forte concepiſtis opinionem de vi-
tiositate noſtri unius, vetuſti autem ſanctimoniam ſeculi.

B ij

Equi-

Evidenter omnes illas querelas diluere possem auctoritate
 sapientissimi Quæsitoris Censorisq; morum; qui amicum
 suum, tum Divo Paulo & Apostolis hinc inde docentibus,
 compellat eo tempore, quo Virtuti maximè litasse homines
 Senec. ep. 98. putabantur. Erras, inquit, mi Lucili; si existimas, no-
 stri seculi esse vitium, luxuriam & negligentiam boni
 moris, & alia, quæ obiicit suis quisq; temporibus: Ho-
 minum sunt ista; non temporum. Nulla ætas vaca-
 vit à culpa: &, si æstimare licentiam cuiusq; seculi in-
 cipias; pudet dicere: nunquam apertiùs, quām coram
 Catone peccatum est. Omnes ad deteriora faciles sit-
 mus: quia nec dux potest, nec comes deesse: & res et-
 iam ipsa sine duce, sine comite procedit: non prouum
 iter est tantum ad vitia, sed præceps. Et quod plerosq;
 inemendabiles facit; omnium aliarum artium pecca-
 ta artificibus pudori sunt, offenduntq;: deerrantem
 vitæ peccata delectant. Verum enim verò, Auditores,
 ne proluisse tantum dicar; aut ipsa veritas nullo adjuta
 patrocinio videatur adversus communem opinionē; que
 non raro communis error deprebenditur: proprius pedem
 conferamus; totamq; banc remita, non tam in auribus,
 quām oculis Vestris collocemus: ut sole clariùs meridiano
 appareat: nihil nunc peccari, quo non peccatum prius fue-
 rit. Quod dum facere aggredior; atq; illa proferre & con-
 vestire meditor, quæ in vita communi eveniunt vulgatis-
 sima, tum optimorum autorum testimonio; tum ipssis re-
 sum

rum gestarum commentarijs; eâ quidem serie, quâ divinæ
 legis monumentum tabulis consignatum accepimus: ne
 quæso abhorreat oratio nostra à delicatis vestris sensibus:
 si forte pingue quidpiam, aut inamœnum, aut etiam aspe-
 rum sonabit: si forte inæquali filo, pro autorum varia-
 te, contexta fuerit. Malo enim id agere: ut ipsis autorū
 verbis rem, ut iacet, oculis quodammodo possitis videre:
 fidemq; adhbeatis, si non orationi meæ, certè ipsis tempo-
 ribus; quibus cum ipsis hominibus vitia nata sunt & suc-
 creverunt. Nec, opinor, quisquam erit, tam Casianæ se-
 veritatis; qui contra officium me agere vel dicat, vel sen-
 tiat: postquam in hoc argumento, nescio an unquam sub
 stylī incudem vocato istâ formâ, periclitari malim indu-
 striam meam: quam de Professionis meæ novogenere quæ-
 dam in medium agmen proferre. Erit, spero, postbac
 tempus; & cum Bono Deo, illucescat alia dies: quâ de pro-
 vincia mea dudum suscepta, verba facere haud intempe-
 stivè coner. Nunc liceat mibi, quod ante me liberali cui-
 vis ingenio ——— licuit, semperq; licebit;
 ejusmodi argumentum designare: quod hoc tempore com-
 modum mibi fore putavi; Vobis, ut confido, non ingratū.
 Vos modò, Auditores, quemadmodum cœpistis, faventi-
 am banc, quā abundè declaratis, conjectis in me tam gra-
 tiosis oculis, porrò præstate: quò pensum meum, quod mibi
 ipse sumsi, detexere feliciter possim; adjutus aurium ve-
 strarū benignitate, & præsentia animorum: utramq; enim
 pari observantiâ, pari humanitate in voco.

Atq; ut ab ipso Deo exordiatur oratio nostra; qui ē
 bonum in nobis operatur, & malum facit in civitate: qui
 non miretur? dicam verius, & quod in tanta rei indigni-
 tate par est, quis non abominetur inter nos feralia homi-
 num monstra? qui cūm de Deo sentire pure, eundem coleret
 sincerè deberent; nomen ejus numenq; sacrosanctum im-
 properijs traducunt, convitj lacerant? Quousq; se jaeger-
 bit effrenata improborum audacia; qui, ex Germanorum
 Societate, Christo vulnera sua obiciunt, crucem expro-
 brant, sacramentorum diras in eum quasi plausta qua-
 dam evomunt, & onustas naves? Quò erumpet tandem
 illorum levissima temeritas? qui vel iræ intemperantia
 abrepti, vel, quod extremæ malitiæ peradfinē est, joculari
 quadam libidine tantum sibi permittunt; ut Deiparam
 virginem meretricio nomine incestare, quod ex Italis nō
 nulli faciunt; mortem Christi scelestā linguā profanare,
 quod non infrequens quibusdum Gallis; Deum fulminar-
 tem provocare, planè etiā ejurare illum turpiloquio, quod
 de Sarmatarū vulgo accepimus, nō erubescat. Que omnia
 ut quotidiano usū invalescunt, audiunturq; nostrā tempe-
 state, non frequenter tantum; sed impune; sed quandoq;
 cum applausu & titillanti aure: ita vicissim nemo nega-
 bit: alijs ante nos seculis blasphemam banc barbariem mi-
 nimè aut novam, aut raram extitisse. Quid enim de
 Gigantibus in sacro sacrarum literarum codice; quid de
 Cycloibus, & plurimis alijs ejusmodi furfuris sentiemus
 aliud;

PARALLELA MORUM SECULI.

aliud; quām fuisse eos contemptores divini Numinis? cuius omnia fulmina vel uno ventris iētu displosurū se quispiam ex illis, quos Cyclopēs dico, apud Euripidem jactitabant. Fuerunt profectō, & fuerunt nullo non ævo Pharaones, Sedeciae, Rabsacæ, Sennacheribi, Nabuchodonosores, Holofernes, Nicanores, Pharisæi, Antichristi: qui cūm ipsi in sublimi solio collocati, Dei majestatem impuro usurparent ore atq; insectarentur; facile effecerunt: ut principum exemplo variabile & incōstans vulgus Deum item injuriosis dicterijs proscinderet. Multos habuit imitatores, cūm utveret; plures, cūm ad Acheruntem abiēt Julianus apostata: qui in medio belli Persici ardore, inter ipsos equorum fremitus, armorum crepitus septem volmina adversus Christum evomuisse proditur: cūm & antea contra fideles libris editis pugnare consuevisset. Quod si quispiam reperiatur; qui, ut concedat, improbè sc̄mper & calumniosè detractum fuisse majestati divini nominis: idem verò contendat: nos solos infelici sidere natos esse: quòd bāreses etate hāc ingravescente ingravescant numero propè infinito, specie insignitè enormi, absurditate, plane absonâ: eum ego nescire, quid ante se gestum fuerit, hoc est, puerum esse dixerim. Sunt, qui in operum suorum simulatâ sanctimoniam, quasi stabulum quoddam confidentia, ut prisco verbo utar, collocatum habent? At eodem spiritu regebantur Pharisæi. Sunt, qui claustris delitescentes & locis abditis; vel hoc nomine cālum sibi promeriti

Eutrop.

meritum dari cum Deo expositulant? *Effeis idem dulce videbatur & necessarium.* Sunt, qui inferorum cruciatus pernegant: nec fieri posse statuunt, reduniri anima cum cinefacto corpore? Atqui hoc antiquissimum fuit Sadduceorum dogma, in ipsis medullis Israëlitarum & visceribus: cum quib. hominum portentis ipsis Christo colluctandum fuit, instauratore puritatis sanctissimo. Quid ceteri, quos ingemiscens nunc Ecclesia in sinu quassat suo? Evidem suspiramus meritò & condolemus; tanta à uero ouia libidine plura nunc in Ecclesia pari monstrantur quam fortè in Africa visa fuerint unquam. Verumtamen ita comparatum est cum ingenio humano: ut nibil non dico nominare, sed ne comminisci quidem possimus: quod non prosemnatum fuerit, addo etiam recenti segete subinde repullularit in Ecclesiæ agro per Teudam, Carporatem, Artemonem, Cerinthum, Ebionem, Samosatum, Arium, Eutycben, Maneten, Nestorium, Photinum, Sabellium, Apellem:

Et quos præterea longa referre mora est.

Adjungite jam his in societatem Menandrum, genere St. maritanum; qui Servatorem se vocabat, ex olymbo ad salvandum mortale genus demissum: adjungite, si placet, Montanum, Pbrygem natione; qui se Paracletum vocabat: adjungite complices ejus, magistri pessimi pejores discipulos, Cataphrygas. Cur hos appello? ut proclive sit dignoscere: non esse novā eorum sectam, et si rectius suave deliti.

PARALLELA MORUM SECULI.

delirium nominavero; qui hodieq; frontem, si quam habuerunt, adeò perfricuerunt: ut in se Christum corporeâ quādam præsentia habitare: sibi Spiritum sanctum solis mysteria salutis exprimere, ad unguem expromere dicitent. Nostis jam, Auditores; quāri illud verius sit oraculo Sibyllino, quod trito hominum sermone usurpatur: Diabolum subinde in Ecclesia eandem repræsentare fabulam; Et veteres hæreses producere ex orco, novis accommodatas personis; mutatis quodammodo consuetis loquendi formulis in peregrinas atq; insolitas: quales semper periculosæ esse consueverunt. Accessit verò fundi calamitas, vel principum favor, vel studium novitatis, Et ad credendum sive imprudens simplicitas, sive impudens: quibus quasi alis subiecta semper in altum hæresis fuit. Nec est porro, quod banc animo sententiam combibamus: malitiam illam astutam, artem fallendi, instrumentum humanae tyrannidis, quæ ferè prudentia quibusdam dicitur, nostri esse tantum seculi flagitium: aut ex Doctoris Thusci demum schola emanasse: cum Magnates cælesti Numen invocant, testem promissi; quod infami deinde perfidiâ, modò ne color desit fraudi, violent penitus falluntq;. Illa enim Lysan- Plutarchus: dri vox quâ non etate mundi exaudita fuit? quid dico ex- audita? comprobata experimentis plurimis: perinde ho- mines juramentis esse circumveniendos; atq; pueros frustrari astragalis solemus. Decipere, inquit Plinius, Lib. 8. epist.

C

ipsum

Xenoph.

ipsum Clearchus Lacedæmonius ad ea, quæ semel concupisceret, compendiosâ viâ se perventurum putabat; si mentiretur; si perjuraret; si deniq; quavis ratione falleret: animi quippe simplicitatem, quasi lentitudinem quandâ & ignaviam esse existimabat. Addam etiam: quo tempore populus Romanus maximè coluisse fidem creditur: cùm virtutis certamen suscepisse diceretur, non versus quos calatum suum Catullus stringere non dubitavit:

Ambrol. 3.
Offic. cap. 14.Catul. de ru-
pt. Petri &
Thebidi.

Nil metuunt jurare; nihil promittere parcunt;
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est;
Dicta nihil metuere; nihil perjuria curant.

Quod si quis existimet; nunc demū cœpisse Ecclesiam contemni, & adversus cultores Dei puros ac sinceros spargi binc inde sequiores rumusculos, criminaciones confingi: isse in temporum ignoratione versari, & rationem Ecclesiæ perparū novissē fateatur. Illud enim tām est certum quām quod certissimum: Christum ipsum, quem nemo arguere criminis potuit vel minimi, fædissimis laceratum sermonibus fuisse; proq; eo habitum, qui cum Diabolorum Principe pari fædere conspirasset. Numquid ergo insuetum fieri dicamus; aut beri tantūm factum; si de nobis divulgentur falsimonia? Sacram Domini cœnam ritu impuro in Ecclesijs nostris contemptim haberi, profanari: ad mensam nos mysticam, quasi ea numulariū cuiusdam foret, aut pincernæ, aut cupediariū tam laute servire ge- nio;

PARALLELA MORUM SECULI.

nio, tamq; intemperanter : ut inter ejusmodi Christianos
& ipsos Saturiones aut Bacchi remiges exigū discriumen
interjectum esse videatur. Grave est illud, & imprudens
bominum sine fronte mendacium, sed quo longè absurdius
commisicitur Cæcilius; cum adversus Christianos, ad in-
vidiam confitâ oratione (jam aliquot secula excurrerūt)
denotaret. Audire se, Christianos turpissimæ pecudis in Oav.
Minut. Felix

caput asini consecratum ineptâ persuasione venerari :
iphius antistitis ac sacerdotis colere genitalia ; & quasi
parentis sui adorare naturam : Coire ad epulas sole-
ni die cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus
omnis homines. Illic post multas epulas, ubi convi-
vium caluerit, & incestæ libidinis fervore ebrietate ex-
arserit: canem, qui candelabro nexus est, jactu offulæ
ultra spacium lineæ, quâ vincitus est, ad impetum &
saltum provocari: sic everso & extincto conscio lu-
mine impudentibus tenebris nexu infandæ cupidita-
tis involvere per incertum sortis : et si non omnes ope-
rà, conscientiâ tamen pariter incestos : quoniam voto
universorum appetitur; quidquid accidere potest in
actu singulorum. Eat nunc, qui velit; & neget, si que-
at : sedulos Christi ad seclas criminacionibus perinde olim
atq; nostro seculo oneratos fuisse. Habeo etiam necesse
dicere : si Theologia statuta nosse, conditionemq; revocare
ad animum velimus : in Græcia olim, quæ paulò post insa-
nia pœnas dedit, luculentam imaginem nostrorum tempo-

C y rum

rum visam esse, & in historijs adhuc conspicere. Quandum
 dum repræsentandam Vobis censeo: accipite, queso, Nic-
 phori testimonium; & quanti sit, pro animi vestri equi-
 tate, expendite: Apud nos, inquit, etiam opificibus
Nicceph. Gre-
gor. lib. 11. effusa sunt arcana Theologiae; atq; ita omnes inhant
 ratiocinatio nculis, & sermonibus Syllogisticis; ut her-
 bæ & pascuis armenta. Et illi, qui de rectâ fide am-
 bigui sunt; & qui, nec quomodo credendum sit sciunt;
 nec, quid sit illud, quod credere se dicunt: illi inquam,
 & fora, & porticus, & theatra omnia, Theologiâ com-
 pleverunt: neq; solem hunc testem facere impuden-
 tiæ suæ verentur. Factionum verò principes inter se
Nicceph Gre-
gor. lib. 6. digladiabantur: & linguas contra se mutuo arma-
 bant: non zelo divino, sed iracundiæ impetu ducti:
 inde lites ab animo non satis instituto profectæ, & ad-
 versariarum orationum certamina. Hæc dum ita ac-
 cidiisse ex Gregora auditis: sat scio; jam tacitis cogitatio-
 nibus adsequimini: planè illis Græcorum contentionibus.
 similem esse nostrorum hominum morem pessimum; quo-
 rum universus Christianismus in petulantia lingua confe-
 stit: dum nihil pensi habent; neq; quam verè credant; neq;
 quam honestè religioseq; vivant: dummodò lascivire que-
 sti nculis, calumnij verò, atq; etiam injurij debaccari
 possint. Quæro ex vobis, Auditores: num hæc nostratem-
 pestas ab illâ priscâ fuerit dissimilis? Tacetis: salvares
 est: veritatem, quam dixi, obtinui: quam Vos adsensu ta-
 cito

cito comprobatis. Atqui, ne omnia persequamur; dum de verbi divini cultoribus differere allubescit: scitum est ad memoriam vetustatis & ipsius adeo sacerdotum gregis, quod Patrum haud infimus posteritati sciendum tradidit:

Ex inordinata multitudine sacerdotum hodie datur contemptui Redemptoris nostri venerabile Sacramētum: nam qui debuerant esse vicarij Apostolorum, &

filii Petri; facti sunt socij Judæ & præabuli Antichristi.

Quid? quod ὡραῖοντα haud absimili timere jubentur ministri Ecclesiæ; qui (verba sunt Bernhardi) in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt: ut stipendijs, quæ sufficere debeant, minimè contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegeq; retineant: & in usus suæ superbiæ luxuriæq; victum pauperū consumere nō vereantur. Duplici profectò iniquitate peccant; quod & aliena diripiunt; & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.

Quorsum verò hæc collectim repeto? quorsum? nisi ut intelligatis; vitium esse adultum planè & longissimi ævi: cùm perspicimus, Clericorum sacra, ordines, mores à primo fundatore Christo, tantis intervallis tam fœde descivisse. Jam verò ab ijs digredi, quæ Deo præstanda erant, ad ea veniamus officia; quæ mortales sibi mutuò debent: videamusq; an hoc tantum mundi senio homo homini lupus esse cœperit. Ac ut telam istam exordiamur à liberis & parentibus: hoc est, eâ Reipubl. parte, quâ salus omni-

Ambros. in
quod. serm.

C iij um,

um, atq; etiam singulorum continetur: triste est, fateor,
atq; miserabile pœnæ divinæ spectaculum: tam dissolutè
nunc vivere undiquaq; juventutem: ut inter illa & ipsas
ratione destitutas bestias, aut nullum sàpè, aut exiguum
discrimen emineat. Nihil nunc pudor valet; nihil bone
leges; nulla senum autoritas, neg; parentum, aut Magi-
stratus reverentia submoveare ab impudentiâ potest &
malitiâ juventutis proterviam & peccandi licentiam.
Sed eandem tamen Horatius olim arguit more suo:

Horat. in art.
Poët.

Imberbis juvenis tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusq; & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti; monitoribus asper;
Utilium tardus provisor; prodigus æris.

Et quod nos tantoperè expetimus, communiq; & calidissi-
mo voto: impudenti hoc & licentioso seculo, juventutem,
prudenter ad templum Bonæ Mentis duci Virtutisq; illud-
lumen quondam & columen Romanae non modò eloquen-
tiae, sed majestatis quoq; impotenti planè desiderio, requi-
rebat. Agnoscitis, Auditores, Tulli verba.: Nullum

Cic. de finib. munus Reipubl. adferre majus meliusve possumus:
quàm si doceamus atq; erudiamus juvētutem; ijs præ-
fertim moribus atq; temporibus, quibus ita prolapsa
est; ut omnium opibus refrænanda atq; coercenda sit.
Nec posteris seculis felicior Roma in liberorum disciplina
fuit: si fidem adhibemus cordatissimo vitiorum Castiga-
tori; cuius, opinor, gravitatem, ex ipsa verborum digni-
tate cognoscetis: Torpent ecce ingenia desidiosæ juven-
tutis:

PARALLELĀ MORUM SECULI.

tutis: nec in ullius rei honestæ labore vigilatur. Can-
tandi saltandiq; obscoena studia effœminatos tenent:
& capillum frangere, & ad muliebres blāditias vocem
extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, &
immūdissimis se excolere munditijs, nostrorum ado-
lescentum specimen est. Quis æqualium vestrorum,
quid dicam satis ingeniosus? satis studiosus? imò qui
satis vir est? Emolliti, enervesq; quod nati sunt, inviti
manēt, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligētes suæ.
Unde autem hæc juventutis corruptela, & isto, & illo secu-
lo? unde? nisi ab ipsis sàpè parentibus, officijs sui minus di-
ligentibus. Dum enim ab extrema infantia nimis tene-
ro amplexu fovent liberos: dum cibis curatissimis infrin-
gunt ipsis robur corporis: dum vestimentorum novis deli-
tijs, pudendis colloquijs, applausu in nequitia, quidquid in
animo & masculi, evirant & pessundant: quid aliud con-
sequuntur? nisi ut ——— teneræ nimis

Senee. lib. 2.
controv.

Mentes asperioribus
Formandæ studijs,

Horat. 3. od.
24.

antè Virtuti nuntium mittant, quam Virtutem nosse di-
dicerint. Verùm hæc nemo melius depinget optimo juven-
tutis magistro, M. Fabio: qui in vectus insuī ævi mores,
perinde atq; nostro familiares, ex dolenti pectore altissima
suspiria ducit: Utinam liberorum nostrorum mores nō Quintil. lib.
ipsi perderemus! Infantiam statim delitijs solvimus. 1. instit. 6. 2.
Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus,
nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid nō adul.

adultus concupiscet, qui in purpuris rept? Non dum prima verba exprimit: & jam coccum intelligit; jam conchylium poscit. Antè palatum eorum, quām os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint; è manibus utrinq; sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentiūs dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda delitijs, risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus; ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident. Omne convivium obscoenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his cōsuetudo; deinde natura: discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Vos, Auditores, cum animis vestris cogitate: quidquāmne ante tot scula dici potuerit aptius, aut similius nostris moribus adferri? Ipsos verò morum formatores, & institutores juventutis sēpè pessimam inyssē gratiam, tum apud discipulorum parentes, tum maxime apud eos, quos ex beluis) & cere homines conabantur, hoc est, ad scientiam traduxerunt & humanitatem; illud meo, & peritorum omnium judicio, æquè in priscâ mundi ætate, atq; his annis receptū usū, corroboratum impudentiâ fuit. Vultis? ipsos recludam vetustatis annales. vultis? efficiam, ut pro me Comicus deponat testimonium: quis enim Comico non credat? quo nemo mortalium luculentius expressit hominum virtutem, cuius Comœdia semper fuit imago; nisi fortè speculum malimus dicere. In illius Bacchidibus pescio utrum

PARALLELA MORUM SECULI.

sui, an nostri seculi infelicitatem ita deplorat Lydus, & in primis pædagogorum miseras, Puer, inquit,

— priusquam septuennis est; Gattigas eum manu,

Ex templo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.

Cùm patrem adeas postulatum; puerο sic dicit pater:

Noster esto; dum te poteris defensare injuriā.

Provocatur pædagogus: ehò senex minimi precij!

Ne attigas puerū iſlā causā; quando fecit strenuè.

It magister, quasi lucerna, uncto ex pretus linteo.

Itur illinc, jure dicto. istoccine pacto potest

Inhibere imperium magister; si ipsus prīmus vapulet?

Ac in ista temporum collatione, & morum quasi parallelis,

dum ingenia hominum altius considero, rationesq; puto:

sanè ipsa mihi res videtur loqui: si Vir bonus is demum ap-

pellandus, qui non modò facere; sed ne cogitare quidquam Cice. 3. offic.

audebit, quod non audeat prædicare: paucissimos esse fu-

turos, quibus hoc Viri boni nomen jure olim tributum sit,

aut hodiè competat. Quòd enim non ruimus nequitia?

Quis impudentiæ finis? quanta & quam acris nocendi cu-

piditas in animis hominum obhaesit, dicam, an malitiā &

robustā improbitate inveteravit? At qui in eādem re, si

quid antiquis confirmandum putetis esse moribus: ibi &

me paratiorem esse sentietis; quam vel ista vox mea, vel

latera, vel dies ferre queant. Adest enim gravissimus

autor, Latinus Philosophus Seneca; qui se non opinari, sed

scire; non auribus tantum, sed ipsis etiam oculis usurpasse

ait seculi sui consuetudinem longè perditissimam. Quod

enim, inquit, momentum erit, quo non improbanda &c.

Plant. in Bac-
chid.

Senec. lib. 2.
de ira cap. 7.

D

vir

vir probus aut sapiens videat? quoties processerit domo, per sceleratos illi avarosq; & prodigos & impudentes; & ob ista felices incedendum erit: nusquam oculi ejus flectentur; ut non, quod indignentur, inveniant. Hoc scito, ubi cōvenitur, iſt hī tantundem esse vitiorum, quantum hominum. Alter in alterius exitium levi compendio ducitur: nulli nisi ex alterius damno quæstus est: felicem oderunt; infelicem contemnunt: majorem gravantur; minori graves sunt: diversis stimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob levem voluptatem p̄dām q; cupiunt. Plus committitur, quām quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitia certamine: major quotidie peccandi cupiditas est; minor verecundiæ. Expulso melioris æquiorisq; respectu, quocunq; visum est, libido se impingit. nec furtiva jam sclera sunt: p̄ter oculos eunt: adeoq; in publicum emissa nequitia est; & in omnium pectorib. evaluit: ut innocentia non rara, sed nulla sit. Videte, Auditores, quām verè h̄ec dicantur, quām liberè, quām aptè temporib. nostris: eò nimirum; ut apis api, aqua aquæ similior esse nequeat. Quæ omnia si ad nos converſi, paulò latius diducere volumus; patet sanè, & quemadmodum ego opinor, baud infrequenti experimento: tantam esse vilitatem humani sanguinis, gladiorumq; licentiam: ut non modò impunè grassetur plurimi in caput vitamq; aliorum: sed etiam eos, propter quos banc suarissi-

man

PARALLELA MORUM SECULI.

mam lucem adspexerint, indignissimè quandoq; luce pri-
vent. Sanè non sum nescius: Solonem ideo nullam in eos
constituisse pœnam; qui parentibus vim manusve intulif-
sent: quoniam nullos existimabat futuros, qui injuriam
adferrent illi; pro quo mori ipsos, si res postularet, jura di-
vina atq; humana sanciunt. Idem tamen (pace dixerim
tam præclari Legislatoris) si tot nefarias patrum cades
tot postea seculis vidisset: credo non puduisset ipsum, quod
perperam judicaverat, novâ sententiâ antiquasse. Quis
enim ita hospes est in antiquitate, aut peregrinus; ut igno-
ret? Oziam cruentasse manus infami cede optimi patris
Amosi; quem ille vecte per tempora transfixit? aut est ob-
scurum? quo ausu Clytemnestram matrem interemerit

patris malus ultor Orestes.

Cicer. pro S.
Rosc. Amer.

Quem fugit Neronis scelus, qui matrem, quam prius stu-
pro contaminaverat, è vivorum numero sustulit: ut joco
factus sit locus:

Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem?

Sustulit hic matrem: sustulit ille patrem.

Quid dicam de filiabus Peliae, Alcmæone Eribiles filio,
Antipatro Theffalonices? quo numero habebimus Ninum
Semiramidis, Evergetis Philopatorem, Cosrois Sirochen,
Pterelæ Polydicen, Orodis Phraaten, Phocæ Heraclium?
qui omnes nefario scelere manus cruentarunt parentum
sanguine, ipsis feris bestiisq; diriores: quas inter se partus
atq; educatio & natura ipsa conciliat. Tam certum est,
aque priſcos ac nostros homines

Cic. pro S.
Rosc.

D ii

vidisse

Ovid. i. eleg.

vidisse parentes

Frontibus adversis, fraterna q; cominus arma.

Neq; enim minus olim amicitia rara fuit fratrum & propinquorum; quam ea bodie dete puisse videtur inter cosanguineos, adfines, necessarios. Nostis, opinor, quamdiu sit, ex quo Poëta coetaneos suos alloquitur :

Ovid. meta-
mor.

non hospes ab hospite tutus,

Non locer à genero : fratrum quoq; gratia rara est :

Imminet exitio vir conjugis ; illa mariti :

Lurida terribiles milcent aconita novetæ.

Hec dum constat semper actitata fuisse à quibusdam domi, inter parietum latebras : nemo, opinor, veteris historie tam erit nescius, ut insiteatur : eandem tragœdiam in aulis quoq; Principum, & regum palatijs cruento apparatus fuisse exhibitam. Ut enim palam fiat : exstitisse omniæ regicidas, & percussores ; qui principibus vim parant, aut insidias : Romam placeat adire atq; consulere : patebitq; tristi in omne ævum exemplo : ex duodecim Cæsaribus, qui in ea primitùs dominatū obtinuerunt, quinq; tantum placidâ utcung; morte obiisse : septem reliquos vel veneno sublatos, vel confosso multis vulneribus, plerosq; suorum manibus periyisse. Ex ijs vero, qui secuti sunt, ante & post avulsum occidentis imperiū, plurimi identidem nefario ausu trucidabantur. Ex Scotiæ vero regibus, quorum octo ultra centum numerantur, paulò infra medium partem miseris modis expleuisse mortalitatem, illat à vi, aut fraude, ab ipsis sèpè regnolis ; ita notū est ; ut infrangi nul-

PARALLELA MORUM SECULI.

in nullâ ratione queat. Quod dum pensiculatè cogitabimus; sanè non putandum est, pertinere ad nostri tantum seculi infamiam: quod par regum potentissimorum sceletatâ scicâ contrucidatum à civib. suis, nostrâ memoriâ acceptimus: quod Magnatibus insidiantur homines nefarij medicatis potionibus, pulvere pyrio, sclopis. Minimè est inauditum, sed compertum diutissimè: de seta equina, aut etiam filo putri pendere omnium mortalium vitam; principum maximè. Ecquid verò cōmemorari tristius potest; aut ab eo audiri, cuius fuerit

Incoctum generolo pectus honesto?

quam in funeribus & sacris festisq;, tum per Insūm & jocū in theatris, innocentissimos quosq; miserabili servitutis nomine vel discerpi à beluis, vel mutuis inter se vulnerib. confici? quid hac truculentâ barbarie potest esse truculentius? Nihil tamen neq; frequentius neq; magnificentius fuit; quam spectatoribus delicias tantâ immanitate fecisse, publicaq; voluptati objecisse hostiam apud Romanos: eam gentem, quae in summa iustitiae & æquitatis opinione floruit: ut non nisi divinæ imputandum sit vindictæ: cum bominum quinquaginta millia Fidenis in munere gladiatorio, unius theatri improvisâ ruinâ oppressa fuerint. Quorsum verò ad externos vitæ nostræ prædones prolixā orationem conferam? cum illud constet in promptuq; sit: in seipso furere mortales; sibiipsis vim inferre proprijs manibus. Qui hoc ostendi potest? In proclivi est, Auditores.

Senec. & Ter.
iu! de specie.

Dij

tores. Tanta enim potandi grassatur ubique, licentia: ut nec
nasci quispia, nec denasci queat; nec ullus celebrari actus
cum solemnitate aliqua: nisi poculis res conficiatur, immat-
niger potandi certam*in*ne. Ex quo illud consequimur mis-
eri, & heu! nimis prodigi salutis nostrae: ut in corpora hac,
que Spiritus sancti sunt domicilia, deserviamus; ea demo-
liamur: fortunas, opes, facultates dilapidemus; dum ad
restim res redeat: animas deniger, ipsas diabolo oppignore-
mus. Verum ea nobis ita sunt adfinia & propria: ut fere
nullo non ævi articulo potoria concertationes ad ebrietatem,
ad furorem usque, institutus & fuerint & celebratae. No-
tum est nimis vitium nostrum gentilitium, in Germania:
quod inde usque à longa antiquitate invaluit; neglectu cor-
roboratum & impunitate. Mos est vetustissimus; cum,
Tácit. de mo-
rib. German.
Tacito autore; apud majores nostros, diem noctemque
potando continuasse, nulli probrum fuit: cum crebrie,
ut inter vinolentos rixæ, raro convicijs, sed piùs conde &
vulneribus transligeantur: cum de pace consultab-
tur ac bello plerunque; in convivijs; tanquam nullo ma-
gister tempore aut ad simplices cogitationes pateret ani-
mus, aut ad magnas incalesceret. Quorsum vero (re-
primo enim dictione meam) quorsum Germanis tantum
hoc compotandi crimen impingatur? Quis tandem finis
erit probri, quo externæ gentes nationem nostram ince-
stant, quasi solam nocentem? cum facete, an falsè nobis oc-
cinunt: Tria male tractari hinc inde: Aves in puerorum
mani-

PARALLELA MORUM SECULI.

manibus: inter senum amplexus juvenculas: vinum de-
nigⁱ in Germanorum potestate. Quasi non inter alios
compluresqⁱ populos pa^{ri}sim, non modo in plebe, sed in ipsa.
etiam nobilitate, frequentetur ebrietas? Quasi non Bri-
tanni, & Galliarum magna pars, Picardi, Normanni, Va-
scones, ipsi etiam in regia palatini, vinolentia sint nobili-
tati: Scum ijs Sarmaticæ gentes ac Sclavonicae: addo et-
iam, ex Italⁱ reperiri, qui tegere melius vitium hoc, quam
fugere norunt. Dicam aliquid amplius: eo ipso seculo, quo
a Cornelio convitium fit genti nostræ, ebrietatis exprobra-
tione; tam immania, tam non dicam inhumana, sed exer-
cranda symposia apud Romanos fieri consueisse: ut ea ju-
re merito auribus, oculis, ore, cogitationibus, omni animi
corporisqⁱ motu respuere atqⁱ, aversari debeamus. Agite,
Romani (vos enim compotantes mente intueri possumus,
quando non possumus oculis) agite ergo; quâ fronte, quâ ve-
corde ea infirmabitis, quæ de heluationibus vestris refert
naturalis Historiae scriptor^e vestras, Taciti coetaneus? Ejus
verba accipite: pretiū enim est operæ, personā detrahi illis,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Nos vinum bibere & jumenta cogimus: tantoqⁱ; ope-
re, tanto labore & impendio constat, quod hominis
mentem mutet, ac furorem gignat; millibus scelerum
huic deditis tantâ dulcedine: ut magna pars nō aliud
vitæ præmium intelligat. Quin imò ut plus capiamus,
lacco frangimus vires: & alia irritamenta excogitan-
tur:

Plin. lib. 14.

cap. 22.

tur; ac bibendi caussâ etiam venena conficiuntur; alijs cicutam præsumentibus, ut bibere mors cogat; alijs pumicis farinam, & quæ referendo pudet docere. Cautissimos ex his balineis coqui videm⁹, exanimelij efferi. Jam verò alios lectum exspectare non posse; imò verò nec tunica⁹: nudos ibi protinus ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium; ac plānè infundere, ut statim evomant, rursusq; hauriant: idq; iterum tertiumq;: tanquam ad perdenda vina geniti; & tanquā effundi illa non possint, nisi per humānum corpus. At ne videamur injuriam facere alijs nationibus; si fortè dicamus, eas non perinde atq; Parthos virtute bibendi gloria quæsivisse: adjungamus eis in hanc laudis (si Dijs placet) communionē ipsissimos etiam Gr̄cos: à quibus tamen omnes Virtutes Gratiasq; prodijſt amplificatrix veri memorat vetustas. Illi à minoribus in cipientes poculis, progressi paulatim ad capacissima; quatuor to conatu, quo impetu immoderato ritu heluati fuerint; si quis nescire se dicat: idem se nescire fateatur: quid gr̄cari, quid pergr̄cari dictum olim fuerit, hodieq; nominantur. Ego, ut rem compendio faciam, non replicabo rerum gestarum fastos: in tanta rei luce, unus Panyasis prodeat, è Poëtis Gr̄cis haud inficitus: qui in scena personam ſt̄tinens ſuę etatis combibonum, ita inducit quosdam relatum turbam ad potandum invitantes. Faciam, ut Gr̄culus iste Latinè loquatur: quò à pluribus intelligi in hac corona poſſit:

PARALLELA MORUM SECULI.

Agedum hospes, quin bibis? hoc etiam virtutis est;
 Si quis virorum convivio plures calices exsiccaverit
 Recte sciteq;: aliumq; simul provocaverit.
 Tam inter epulas fortis vir esse potest, quam qui in bello
 Pugnas sequitur luctuosas; in quibus pauci
 Animosi sunt, ac Martem impetuolum excipiunt.
 Huic ego illum æquali laude contulerim, &c. (ceprantem
 Quapropter decet te inter pocula læto animo merum ac-
 Potare strenue, non cibo malè adfæctum instar vulturis,
 Sedere pleno ventre, oblitum gaudia.

Neg, verò Græci soli hac potandi gloriâ famosi fuerunt,
 aut Romani: sed nimirum etiam Platonis testimonio ju-
 xtâ 55 seculo * μέθης δὲ συύθαι χρῶνται, καὶ τέρσανται, καὶ ^{inebriabantur}
 ἐτικαρχηδόνιαι καὶ νέλτοι, καὶ ἴθηρες, καὶ θράκες το-^{Scythæ,}
 λεμνιῶντα ταῦτα γένη. Ac pro nobis dicentem habe-^{Persæ, Pœni,}
 mus testimonium Polybium (at quantæ autoritatis virū!) que bellicos.
 Gallos, qui trans Alpes habebat magnam Italiæ partem, Plato 1. de
 mero cibog; se olim egregiè ingurgitasse: sed & temulentos, leg.
 sibi infames, suis pernitosas turbas concitasse. Nisi forte
 quis arbitretur, nostri seculi tantum esse furorē ac tyran-
 nidem: ut liberum hominem potando sérvum faciamus:
 quod profectò faciunt plurimi; cùm ad suum arbitrium,
 suig; ventris voraginem, quasi modiperatores, bibere ali-
 os condictâ lege cogunt. Non est hoc novum, Auditores:
 sive id fiat, ut sacra genio parentur; sive etiam sanciantur
 amicitiæ vitreae: quâ fini apud Lyricorum Principem, diu
 est, cùm Reges dicuntur magnis urgere culullis,
 Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
 An sit amicitiâ dignus.

E

Ex-

Horat. in ar.
te pœt.

Expendite etiam hoc adjudicij vestri libellam: videri in ipsam Ecclesiam irrepisse morem pessimum jam tum Augustini tempore, cogendi alios ad potandi intemperantia. Sic enim Sanctissimam suam Suadâ Doctor eloquentissimus cobibere voluit infame institutum: Ebrietatis malum ita per universum mundum à pluribus in consetudinē missum est: ut ab illis, qui Dei præcepta cognoscere nolunt, jam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantum, ut in convivijs irrideant eos, qui minùs bibere possint, & per INIMICAM AMICITIAM adjurare homines non erubescunt: ut potum amplius accipi- ant, quam oportet. Qui enim alterū cogit; ut se plus, quam opus est bibendo inebriet; minùs malum erit ei; si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam perebrietatem necaret. Ortâ bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudē meretur ex criminē. Quan- quam verò non insitebor; in convivij nostris opportunam esse admodum uberemq; inebriandi occasionem, que sumi- tur ab illis cyathis, quos sanitatis vocant (nempe ut bellū; quod in se nihil aut belli aut amœni habeat) eadem tamen consuetudo & ipsa per longissima annorum spatio ad nos traducta fuit. Secedite parūm animo in Græciam, quan- do non potestis corpore: & Alexandrum videte in convi- vio populari, quod instruxerat Macedonibus & Persis in gratiam restitutis. Tum enim craterem, quo Rex biberat (non autem nisi capacissimo delectabatur homo vinosus) ad

Augustin. de
tempor. serm.
231.

Arrian. lib. 8
de gest. Ale-
x. ad.

ad eos perlato, qui circa ipsum discubuerant; vota suscep-
ta sunt: incipientibus Græcis Vatibus & Magis; tum
alia exercitui Regi prospéra, tum maximè aeternā Ma-
cedonum ac Persarum concordiam, communis imperij so-
cietatem precantibus. Quod verò mirari subeat; novem
millia virorum huic interfuisse epulo, literis memorieq;
proditum est: sed & omnes singulosq; ceu communi Φιλο-
τησίας των ονόμων, sanitatisq; poculo combibisse. An ex-
pertes fuerunt Romani hujus ritus? quos certum est, non
modo per genium Augusti jurasse; sed omnibus in convi- Dio Cas.
vūs libasse lētos lubentesq; pro salute ejus: perinde atque
epigrammatarius quasijure quodam suo exigit: ut

Nævia sex cyathis; septem Iustina bibatur;

Quinq; Lydas; Lyde quatuor; Ida tribus:

Martial. 1. 1.

Omnis ab infuso numeretur amica Falerno.

Mox consecrabor plura: cum ne illud quidem infringi ul-
lā ratione possit: in Liberalibus suis & Bacchi Orgijs, tam
liberales, an effusè prodigos extitisse Romanos: ut tot cy-
athos exhaustirent, & plerumq; sine interspirio; quot an-
norum incolumentem alicui precarentur. De cætero et-
iam illud planum facere possum: quod et si sunt multi no-
stræ & gentis & ætatis; qui tam immanni sunt ventris in-
gluvie, tamq; profundogurgite: ut vix capere eam ratio-
ne possumus aut ad sensu fidei: non tamen credi debeat fu-
isse vetustatem adeò temperantem: ut non pepererit plu-
res ejusmodi atq; portentosos Comedones. An leve est aut
nugatorium? quod Clodius Albinus quingentas ficas, cen-

E ij tum

tum Campana Persica, melones Ostienses decem, uvularum
 Labicanarum pondo viginti, ficedulas centū, ostrea qua-
 draginta, devoraret; Et unā cœnā devoraret. Taceo Vi-
 telli insanas comedationes; Et eas Caligulae, Philoxeni,
 Mithridatis, Erisichthonis, Galloni: omnes post se mul-
 tisq[ue] parasangis, quod dicitur, relinquunt Milo Crotonia-
 ta Et Cambles Rex Lydonum. Ille enim,

(Dij talem terris avertite pestem)

in Olympia quadrimū taurum solus ingessit uno die: cum
 eum antea per stadium bumeris suis retento spiritu depo-
 tasset, pugno occidisset: hic verò insuper feritatem cum e-
 dacitate conjunxit: unā nocte propriam uxorem absun-
 psit: dignus uterq[ue] devorari viciissim: Milo ab alio taurō:
 Cambles à sexu fæmineo; non hominum, sed immanium
 bestiarum. Putate etiam hoc cum veritate esse junctum:
 velitationes de herciscuda sessione perinde apud antiquos
 fuisse; atq[ue] in nostris convivij: ubi multi dolent, si quem
 sibi ambitiosâ spe locum destinaverant, eum honoratori
 cōcessum vident, discuntq[ue] tandem: In conscientia cuiusq[ue]
 Et bonorum judicij virtutem obtinere locum; non in sub-
 sellijs, aut siticulos gloriæ appetitu: quod tamen obtineri
 non potuit multis ab hinc seculis. Fuit frequens nimium
 in Anglia de sessione ambitio, jam ante octingentos annos,
 si recte calculum posui; cum Arturus, animi corporisq[ue] vi-
 ribus clarus, ut stultæ superbia remedium adferret; Bri-
 tanniae suæ proceres circulari mense advocaret convivas;
 ut lo-

PARALLELA MORUM SECULI.

ut locorum istâ æqualitate amicitiae æqualitas constaret.
Remotiora si desideratis: producam vos in cœnaculū He-
liogabali: qui cùm ipse impurus esset atq; monstruosus omni
vitâ; tales quoq; coepulones amavit. Quæ enim ipsi mens ^{A Elias Lam-}
fuit? quis ardor animi? quid sibi voluit? cùm venire in ^{pri. d.}
certamen præminentia loci cerneret, quos ad cœnam coe-
gerat, octo calvos, octo luscios, octo podagrosos, octo surdos,
octo insigniter nigros, octo pralongos atq; nasutos, totidem
præpingues atq; obesos:

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Qualis enim in tanta morum & corporum discrepancia
fuit unquam aut esse potuit amicitia; quæ ex morum simi-
litudine nascitur, augetur, conservatur?

Verum ego parum caui us dispensator & temporis &
rerum; qui inter belliconum certamina tamdiu commoror;
me fatigo; vos detineo. Conficiam brevibus, quod mihi
stadium decurrentum prestatinavi: dum modò vos animos
vestros, ad reliquum orationis meæ cursum reficiatis, Au-
ditores: quod à vobis per communes mihi vobiscum Gra-
tias non flagito equidem, sed comiter, pariq; observantia
iterum postulo. Atq; ab ebrietate transeo ad illicitas vo-
luptates; tanto, ut opinor, faciliori dicendi viâ; quanto
certius est ac pronius; ventrem, mero æstuante, despuma-
re in libidines: & ex membrorum hac vicinitate, confœ-
derationem vitiorum sequi. Equidem nec verbis exag-
gerabo, nec imminuam dictione meâ tot nefarios modos,

E iiij corpus

Hieronym.
in epist.

CASPARIS DORNAVI

corpus nostrum, quod Spiritus sancti esse debet sacellum profanandi: ut turpisima fiat & obscœna cloaca stupri, adulterij, incest & & non dicendæ libidinis. Illud erit ius loci considerationisq; ita inducere animos vestros, ut statuatis: nullum nunc voluptatis genus excogitari, ac ne singi quidem posse: quo non infamata aliquando fuerit antiquitas, non dico, domesticâ ignominia, que parietum latebris potuerit tegi; sed theatricis insuper cœvitij. Quod in loco mibi hærenti, & unde exempla promam cogitanti illud Poëta scitum subit:

Ut stat, & incertus quâ sit sibi nescit eundum;
Quum videt ex omni parte viator iter:

ita mihi ipsa quodammodo rerum gestarum locuples nimis copia nocet. Non commemorabo quidquam de antequoris mundi luxuria: nihil de infasta Sodomæorum voluptate: nihil de Sichemij; Israælitis, Benjamitis. Tæceo Babylonios; in quorum civitate liberos & conjuges & more surreptitio uti permittebatur cum hospitibus; modo flagitio pretium constaret. Silentij velarijs contegamus Romanorum impudicitiam; apud quos, si quisquam èjumente usurarium cepisset corpus fæmine; pro leviculo id babebatur risu dignum; pro flagitio minimè. Quid multa?

Terent. in
Adelph.

Iavens.

Antiquum & vetus est (canit Satyricus) alienum, Posthuc, lectorum

Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas:
Viderunt primos argentea secula mæchos.

Quan-

PARALLELA MORUM SECULI.

Quanquam nos feliosores sumus; quod non perinde innotuit (utinam obscuretur exuletq; eternum) apud nostrates, atq; apud priscos illud pudendi nominis crimen, quod gentium Apostolus, non suā, sed Spiritus sancti lingua stylog insectatur; unijam nunc atq; alteri potissimum genti familiare: quo paganorum aī θείλεα μετήλαξαν τὴν Φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ Φύσιν: ὅμοιως τε ἡ ἀρσενες aī Φέντες τὴν Φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὁρέξῃ αὐτῶν εἰς ἀλλήλας, ἀρσένες ἐν ἀρσεσι τὴν αἰσχημοσιώην κατεργαζόμενοι. Peruenrunt sanè ad seram posteritatem convitia, quibus vaporarant hoc nomine, & merito suo Persæ, Cretenses, Chalcidenses in Eubœa; in reliqua Gracia Pasiphæ & Sappho cum ancillis suis; Chariton Agrigentinus, Libanius Sophista, Cratinus Atticus, Theophrastus, Alcididas Rhodus, Pausanias Lacon, Hipparchus Pisistrati filius; Sotades, Pindarus, Agathocles, omnes poëtæ; Demetrius Poliorcetes, Nicomedes Bithynia, Agesilaus Lacedæmon, Rex. Nec defuerunt in Romana Repub. Q. Flaminius Consularis, L. Papyrius, Cælius Plotius, & omnis obscenitatis princeps Hostius; eumq; secuti non modo portentum Cæsarum, Tiberius, Nero, Heliogabalus: sed videlicet illi etiam, quorum præclara in rempubl. merita creduntur existisse, Julius & Octavius. Possem in hanc classem accensere ipsum quoq; Socratem: nisi eum à crimine hoc liberarent Platonici: & non potius ipsi Di⁹ Deag; inducerentur abominandis dediti amoribus. Nonne enim ipse

Roman. I. v.
26. 27.

Tertull.

Rex superum quondam Phrygi, Ganymedis amore
Arct?

Ovid. 10.
Metam.

Cic. pro Deo-
jor. O tempora, ô mores! propè enim est, ut cum ipso Tullio ex-
clamem. Sed tempus monet; ut de rerum quoq; & facul-
tatum possessione videamus: possitne bæc posterior atas
hoc prætextu videri deterior illâ, quam majores nostri de-
currere. In ore equidem est omnium, & usurpata sapè,
credo etiam ipsis vestris oculis, audacia furum, fraus &
versutia, crumenis carum in primis; qui tam dociles ba-
bent, tamq; affrabre versatiles picatasq; manus: ut quo-
quose insinuarint, non nisi prædâ locupletati discedant.

Sex. Pomp. Quid veteres? Ne illis quidem defuerunt manticularij,

lib. 11.

quoq; Festus noverat. Vedit Græcia Salavtiotous;

Plaut. in T. i. ipsaq; Roma Sectores Zonarios, è scena proclamatos: qui
num.

in conferta turba marsupijs manum injiciebant; & aut

secabant, aut inaniebant. Quâ verò infamia laborat

apud nos circumforanea hominum gens, que Cingarorum

nomen adepta est: eadem fuit antiquioris etiam seculi;

Vlpian. & A. quo saccularij (ita dicebantur) maleficâ magicaq; ratione

incantare crumenas, occultisq; artibus pecuniam inter-

vertere credabantur. Quid porrò meritum hoc genus ho-

Plutarch. in minum? quid? Si ex Laconum Republica dicenda est

Lycurg.

senteptia: nemo ex furunculorum genere neg; capit is pæ-

nâ, neg; civili adficietur; qui doctè, qui ingeniosè clepere

didicerit. Illi quippe pro piaculo verbera apud Sparta-

nos parata erât, & plagæ: qui solutus in furando & iners

fuerat.

PARALLELA MORUM SECULI.

fuerat. Transmissa est ad posteros Autolyci fama, avi
materni Ulyssis: qui cum à patre Mercurio donum acce-
pisset furandi artem; ea, quæ furto sustulerat, peregrino
colore tam bellè obducebat, ut deprehenderetur minimè:

furtum ingeniosus ad omne,

Qui facere adsuerat, patriæ non degener artis,

Candida de nigris, & de carentibus atra.

Eustath.
Iliad. κ.

An conticescet ulla etas de sagacissimo homine, tagacissi-
mo volui dicere? qui à Rampinito Ægyptio ob astutiam
suam, quâ nobilitatus fuerat, tum in thesauro regis expi-
lando, tum filia ejus eludenda, cui fratri abscessam ma-
num pro sua porrexerat, & vitæ impunitate donatus est;
& regis in superfiliam, raro furti præmio, uxorem accepit.
Largiar etiam istud baud in vitus: non insolens esse nostro
seculo spectaculum: ut parvi fures, quiq[ue] sapenum
primendæ famis ergo tantillum surripuerint, in furcam a-
gantur, ab infelici arbore suspendantur: qui ex adverso
farta admiserint maxima, peculatores regionū, urbium,
ariorum; ijs etiam honorem, non raro gratiam babea-
mus æquè ac referamus. Verùm hæc ipsa querela non no-
stræ tantum propria est tempestati: sed antiquissima est,
& penè exolevit: cùm jam diu

Det veniam corvis, vexet censura columbas.

Quam ob rem dum animum refiero in præterita; videor
mibi M. Catonem, cùm de præda militibus dividunda per-
orat, illustrib. audire verbis de impunitate peculatoris atq[ue]
licentia conqueri: Fures privatorum furorum in ner-

Agell. lib. 11.
cap. 18.

vo atq; compedibus ætatem agunt: fures publici in
 auro atq; purpura. Fortassis verò erunt, qui in contra-
 etibus & negociatione exigent justitiam: ut pretio mer-
 equivalentis emptori vendatur; non pondere imminuta,
 nec vitiata ulla qualitate. Jure hoc exigis, quisquis es:
 cùm depravatis mercibus non minus marsupia civium ex-
 enterentur; quām à crumenis ecclie fieri diximus. Sed quor-
 sum fortunam recusamus communem cum priscis? quor-
 sum propriā nobis sortem optemus! Omnis ævi frans est;
 & in mercibus frequentissima: ea etiam quā diluere vi-
 num œnopolæ aquā solent: nullibq; carius aqua venditur;
 quām incestuosā Bacchi & Nymphaeum commixtione:
 ut Tertullianus sapienter & ad rem appositè differit. Sed
 quid Tertullianum sollicito? cùm ipse Deus, testis optimus
 maximus, gentem Israëliticam vocet semen maleficentif-
 simum, filios corruptores: cùm pari scelere atq; audacia
 monetam & vinum adulterarent. Male audiebant hoc
 ipso quog nomine Athenienses: quanquam Alexis Comi-
 cus facetè; qui id facerent, excusat: negans sui compendij
 illos habere rationem: sed sanitatis ementium: ut ne pos-
 fint mero potato, valetudinis jacturam facere. Neque
 verò Athenis tantum, aut inter Judæos ita vivebatur:
 latissimè patent fraudes: angustis terminis minimè con-
 stringuntur. Pleni enim sunt veterum libri; plena dol-
 mali antiquitas; plena de cauponis querela undiquaq; in-
 bistoria: quos in venditione vini triplicem ferè dolum ad-
 mit-

Iesu.

Alex. in afo-
to.

PARALLELA MORUM SECULL.

mittere nota vit Lucianus: quod illud adulterant; quod
 mangonizant, conciliandi gustus gratia; quod deniq^{ue}, fal-
 sâ mensurâ minoriq^{ue}, vendunt. Quid ergo mirum esse pu-
 tabimius? omni tempore fraudatorib. lucro quidem frau-
 des suas sed admodum instabili exstitisse: cùm lege suâ im-
 mutabili sanxerit Deus: ut male parta, male dilabantur:
 ad tertium hæredem minimè perveniant. Nondum enim
 obliteratū est oblivione facinus, quod de mercatore quo-
 dam Lugdunensium vulgatum est à Gregorio Turonensi,
 homine, ut opinantur plurimi, haud fluxa fidei. Ille enim
 (ut est difficile habere in mercatura continentes manus)
 ille ergò mirum in modum locupletatus aquâ vino adfa-
 tim in dolij permixtâ & divenditâ: cùm avaricie modū
 nesciret ponere; navim conscendit: ut novâ vin^a novâ
 arte diluenda pretio sanè quam vili emeret, caro diven-
 deret. Ibitum Deus, ultor tempestivus omnis fraudu-
 lentiae, vulturem immittit, sive raptorem milvum: qui
 mercatoris marsupium pelle leporinâ obiectum, ratus le-
 porem esse, invadit, rostro prebendit, in altum asportat.
 Sed cùm nihil sibi profuturam videret prædam: nec esui
 fore corium, nulla fartum carne: in profluentem Ararim,
 cum inclusis ex auro nummis deicet. Factum certè ap-
 probum! meritus quippe fuit, quem spoliaret milvus: cùm
 ipse spoliando alios, imitatus milvum fuerat: promeritus
 item, cuius pecunia in aquas momentaneo casu rediret,
 quæ lögâ malitiâ quæsita ex aquis fuerat. Errant preter-

Gregor. Tu-
 rovens. de
 glor. confess.
 cap. 109.

ea, & vehementer errant, qui illud novum esse sentiunt:
 quod ex pecunijs alienis splendide vivunt non uni: cùm
 creditori restituendum, quod suum erat, vorsuras faciunt;
 pedibus salutem suam credunt: non forifuga tantum, sed
 lucifuga omnino facti. Non est, inquam, res nova; novan-
 tiqua est: quippe acta fuit eadem apud priscos fabula: &
 dicam enim quod sentio, longè lateq; acta fuit. Quo enim
 referemus gravissimi atatis sue castigatoris querimoniā:
 Latè quidem possident; sed interim multū debent:
 habent domus formosas; sed alienis nummis paratas;
 familias speciosas producunt; sed nominibus non re-
 spondent. Si creditoribus solverint; nihil illis supere-
 rit. Mali sunt computatores & aestimatores: quantum
 proprij possideant, ipsi non excutiunt. Sed nec infre-
 quentes fuerunt imposture iste seculo scriptoris Comæ-
 diarū, cuius voce Musæ credebantur fuisse usura; si Latinè
 loqui voluissent. Apud eum de Scena proclamat quissiam:

— ferè maxima pars morem hunc homines habent, quod
 Cibi volunt,

Dum id impetrant, boni sunt: sed id ubi jam penes se habent
 Ex bonis pessimi & fraudulentissimi sunt.

Sed quid profero Ethnicorum libros atatem? inter ipsa
 sacra divinarum literarum monumenta refertur, quod
 pessimā consuetudine inveteratum esse contendimus. Sic
 enim Sapientissimus Ecclesiastici autor de eo, qui, cùm
 reddendum quid est, etiam probris rem agit, & convitijs:
 Usq; dum acceperit, inquit, osculatur manus illius, &

Plaut. in ea-
ptiv.

Ecclesiast. c.
29.v.5.6.8.9.

pro

PARALELA MORUM SECULI.

pro pecunijs propinqui submittit vocem: tempore autem restitutionis protrahit tempus & adfert accusacionem socordiaæ: deniq; cùm privaverit pecunijs creditorem suum; execrationes & convitia rependet ei; pro gloria ignominiam reddit ei. Quod si prisorum iudicia adibitis (liberæ enim sunt mètes nostræ: Et quæ multis retrò seculis contigerunt; ea sic possumus cernere; quasi oculis videamus) si explorare lubeat: quàm incorruptè Judices pro æquitate aut justitia sententiam dixerint: sat scio occurret, sive Ovidius, sive Propertius: Et avaritiam illorum culpabit, qui secundū eos litem dabant; à quibus plus acceperant:

Aurea nunc verè sunt secula: plurimus auto

Venit honos: auto conciliatur amor:

Auro pulsa fides: auro venalia jura:

Aurum lex sequitur: mox sine lege pudor.

Nam si perspectè Vos novi: sat scio, quid dicturi sitis; ubi adjudicium examinabitis momenta verborum Diogenis: qui interrogatus, quam ob causam palleret aurum; promptè cordateq; respondit: quoniam plurimos habet insidiantes. Nimirum omnibus seculis, postquam in terræ viscera nos deduxit avaritia, aurum semper palluit: hominesq; adduxit; ut injustitiæ se mancipio darent. Quid ergo suspiriosi lamentabimur; seculiq; nostri imputabimus uni Et unico vitio: cùm vel experiri caussæ nostræ bonitatem, vel obtinere non possumus, judicū corruptelis? Ferre profectò decet, quod mutare nō possumus: Et certò statue-

F ij re:

*re: omnibus et atibus Deum esse gravissimum ultore int
quitatis: cuius & olim minas audierunt Israëlitæ: & nos
nisi planè obsurduimus, in aures pectusq; demittere debe-
mus: Væ, decernentibus decreta iniqua! ad evertendū
de causa tenues, & ad rapiendum jus pauperum popu-
li mei: ut sint viduæ prædæ ipsis & pupillos diripiant!
Ex quo, ut & ex ceteris dictis factisq; videre vobis licet:
vanam esse querelam; jus fasq; nostro tantum seculo desi-
sse inter homines: quoniam ipsa Româ ad miraculū usq;
florente, exulavit justitia.*

*Ovid. I. Ma-
tam.*

& virgo cæde madentes

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

*Atq; ea ne quidem reversa post liminiò fuit, Neronis tem-
pore: si Latino Tragico credendum esse putamus: cuius
verbasi oracula existimem: nemo mihi, opinor, succen-
sere jure poterit:*

*Neglecta (ait) terras fugit, & mores feros
Hominum cruentâ cæde pollutas manus,
Astræa virgo, siderum magnum decus:
Totum per orbem maximum exortum est malum.*

*Quæ itaq; impotentia est judicij? proprium nobis putare
quod toti mundo familiare, & omnibus ejus temporibus
fuit. Nimirum inquietus est animus, quicunq; impatiens
ter queritur. Dum hæc in foro aguntur, ante Prætoris
tribunal, ad subsellia judicum: nos quoq; Musis qui opera-
mur, negociosi in ocio & umbrâ, non minùs sèpè ingemisci-
mus: perinde nobiscum agi, atq; cum apibus fieri naturæ
vena-*

*Senecc. in
Octay.*

*Eliac. 10. v.
1. & 2.*

PARALLELA MORUM SECULI.

venatores prodiderunt. Fuci enim ignavi atq; ignobiles
eum ipsi non mellifīcent; apum tamen insidiantur labo-
ribus; ut rem suam indefacere, alienoq; succo vivere &
sanguine valeant. Non absimili nequitia in regno lite-
rarum deprehenduntur tam impudentes furunculi, tam
sine fronte, sine corde: ut non dubitent ipsi pro suis extru-
dere laboribus, quæ aliorum vigilijs, sumptu, ingenio con-
cepta, formataq; fuerint & elaborata. Has rapinas, di-
xissem penè plagia, quotiescumq; animadvertisimus; par est
commemorinisse, quod de plurimiis ejusmodi latrunculis re-
tulit antiquitas. Ex illa se enim Menander offert; quem Gyrald. dia-
log. 7. histor. pœtie.
antiquorum Poëtarum furem non modò Eusebius appel-
lavit & Porphyrius: sed Cratinus quoq; de illius furtis sex
libros in vulgus disseminavit. Quo nomine dicendi The-
storides & Eugaminus? quorum ille ab Homero communi-
cata descripsit carmina; pro suis vendidit: hic integrum
volumen de Thespotij à Musæo per fraudem domum suam
asportavit. Quo loco habendus venit tum Eribus? qui
infabula Melibœa integros versus Antiphanis surripuit?
AElian.
tum Ephialtes servus, quem Augeas Molossus canis mor-
dicūs arreptum confecit dentibus; tum Chrysippus Solen-
sis, de quo Apollodorus verè scripsit: si quis tollat de Chry-
sippi libris quæ aliena sunt; vacua illi charta relinquetur.
Quo deniq; estimio habendos putatis Stoicos; quibus in se-
ria solidaq; philosophia principatum designari posse arbit-
ramur? Eos vero non unam aut alteram à Peripateticis
par-

partem; sed totam ad se philosophiam transtulisse: atq; ut reliqui fures, earum rerum, quas ceperunt, signa committant; sic illos, ut alienis sententijs pro suis uterentur, nomina tanquam rerum notas mutavisse, graviter apud Ci-

Cic. 5. defini. ceronem M. Piso queritur. Jam verò de Gracis que ex-
bus.

Victor. lib. 7. promenda oratio? Eos sanè Vir integerrimus, procul à
var. lect. c. 7. calumnia, Clemens Alexandrinus furunculos appellare
Clemens Ale-

xandi in. lib. 5. & 6. Strō. non dubitat: quòd non modò barbaris omnem philosophi-

am suffurati, sibi adscripserunt: sed suorum quoq; popula-
rium scrinia expilarunt; pro suis venditarunt. Atq; in
istos librorum raptore posteaquam oratione mēa semel
incidi: nequeo committere: quin animis vestris ac cogi-
tationibus subijciam non modò Juvenalem, cuius hac est
querela, lippis propè nota & tonsoribus:

tenet insatiabile multos

Scribendi cacoëthes, & ægto in corde senescit:
sed ipsum etiam Horatium; cùm accusat seculi sui scribelli
di pruriginem:

Horat. lib. 2. Scribimus indocti docti q; poëmata passim:

¶. I. & alibi, non minùs verè quàm graviter:

Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit;
Scire velim pretium chartis quotus arroget annus?
Scriptor ab hinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresq; referri debet, an inter
Viles atq; novos.

Quid Vobis agere aliud videtur sapientissimus Poëta?
nisi digitum intendere ad nostri seculi cum prisco confor-
mitatem: in primis variorum locorum nundinas: ubi tām
multi

PARALELA MORUM SECULI.

multi grassantur miserabili via ad famæ theatrum; tam
numerosa merx novorum librorum expromitur:

Quam multa in sylvis autumni frigore primo
Lapla cadunt folia:

Virgil. 6.
A Encl.

ut subdubitare velint nonnulli ex eruditis: sint ne post hac,
non dicam sutores edituri libros, (tales enim abortus vi-
dimus) sed de gente aurita etiam nonnulli & Arcadicis
jumentis: cum olim Ammonij auditorem asinum fuisse,
scriptum existet. Videte ergo, ecquid comminisci mens hu-
mana possit: quod non priscis fuerit nobiscum commune?
Quid de reliquis seculi malis? licetne dicere? mihi vero
licet; & semper licebit patrocinium veritatis suscipere,
contra falsimoniam. Quem cursum dum conficio, ad
metam properans; plurimos reperiri fateor; qui pecunias
suas & lautissima patrimonia prodigunt in convivia, ve-
stimentorum luxum, venationes, spectacula, lusus, scor-
tilla, & quæ præterea excogitari solent ad inopiam & men-
dicitatem illecebrae, à Magnatibus æquè, ac tenuioris for-
tis hominibus. Quæ seculi facies, si cum antiquitate qua-
si quodam speculo conferatur: vos Auditores, judicate,
(facile est enim dicere, quid sentiatis, re tam liquida) ut-
rum prior ætas posteriori, an hæc illi deroget. Quam enim
enim insano sumptu; quam stulta vanagj ostentatione,
nulli, aut exiguo usui, educebant ex tabulis marmoreis
& Egyptij pyramides suas? quarum una à trecentis sexaginta
hominum millibus, annorum viginti spatio vix ac-
ne vix quidem elaborari potuit. Quam illud dementie

Plin lib. 36.
c. 12.

G

pro-

CASPARIS DORNAVI

proximum est? in raphanos, & allium, ac cœpas, quibus
vescerentur tum operarū, mille octingenta talenta fuisse
erogata: que, si ad nostros calculos ac nummos, decies cen-
tena millia aureorum excedent.

O mileras hominum mentes & pectora cæca!
nequeo enim me continere, quin exclamem iterum; & il-
lud altius in primam vestris animis: ut cogitetis; si nostro
seculo

Stultitiam patiuntur opes;
non proinde sapientiores veteres, aut moderatores exfir-
tisse. Apud Romanos verò quam viliis fuit auri argen-
tiq; estimatio? Nibil dico de immensis hinc inde substru-
ctionibus theatrorum; que adictus & ianiatus, & ipsas
cædes non modo bestiarum, sed corporum humanorum, ut
stissimâ mole exhibebant

Prudent.

illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompx.
Cœnarum hic præceteris apparatum consideremus, & cir-
borum lautias: tum apparebit luculento testimonio, sat
scio: nullum hoc ergo ganeonem esse, aut lurconem aut ne-
potem, aut Apitium; qui Romanorum luxum, omnia fa-
stidientem, nisi exotica & sumptuosa, & qua verit unquam,
ne dicam superarit? Eleganter & floride de moribus se-
culi sui Petronius:

Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus deducitur: inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnis,
Ut revocent per damna famam. jam Phasidos unda

Orbata

Petron. Ar-
bit.

PARALLELA MÖRUM SECULI.

Orbata est avibus, mutoq; in littore tantum
Solæ desertis adspicunt frondibus auræ.

Quæ si quis forte superlatione poëticâ ab homine faceto
dicta, aut me, quod dico solet τὸ ζητόμενον συναρπάζειν,
putet: is seipsum errorem reprehendet errare; si spaciū
præteriti temporis respiciens, Panegyristen proprius audi-
at; cùm easdem profusiones, Theodosio optimo Cæsari, ex
veteris Roma consuetudine memorat. Delicati illi ac Latin. Pacat.
fluentes, & quales sæpè tulerit Respublica, parum se lau-^{in Panegyr.}
tos putabant: nisi luxuria vertisset annum: nisi hyber-
næ poulis rosæ innatassent: nisi æstivâ in gemmis ca-
pacibus glacie falerna fregissent. Horum gulæ angu-
lus erat orbis noster. Namq; appositæ dapes, non sa-
pore, sed sumptu æstimantes; illis demum cibis acqui-
escabant, quos extremus oriens aut positus extra Ro-
manum Colchus imperium, aut famosa naufragijs
maria misissent. An vos, Auditores continere linguas
potestis, quin exclametis:

— ò prodiga rerum

Lucan. lib. 3.

Luxuries, nunquam parvo contenta paratu:
Et quæsitorum terrâ, pelagoq; ciborum
Ambitiosa famæ, & lautæ gloria mensæ!
Discite, quâm parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat!

Imò, ut aliquid amplius habeat dissertatio nostra: nullus
hoc seculo luxus neg. singi, neq; pingi potest, qui vestimen-
torum foret; quem non Romanus fastus, qualis esse solet
in rerum omnium adfluentia, multis parasangis antever-

G y - terit.

terit. Erat apud eos immanis prodigalitas unionum: nec per caput duntaxat pretiosissimi fuerunt.

M. mil. —— ducti lapides, per colla, manusq;:

Et pedibus niveis fulserunt aurca vincla:

Plin. Sed crepidarum etiam obstragulis variæ gemmæ, totisq;
socculis addebatur: neq; enim gestare margaritas, nili
calcarent ac per uniones etiam ambularent, satis erat.
Quid de Sybaritis dicam, hominib. insigniti luxus? apud
quos Alcisthenes corpus suum, quod postea vermibus fa-
ctum est domicilium, ueste texit; que centum viginti ta-
lentis fuit vendita. Longum foret simul ac operosum:
si aureas platanos vitesq; referrem; sub quibus Persarum
reges jura dicebant populis? Erat enim earum pretium
inestimabile: auctum uvis, que smaragdos, que carbun-
culos Indicos, que racemos ex pretiosissimis gemmis tur-
gentes referebant. Nec in aspectum uestrum lucemq; re-
ducam Alexandri sive sodales, sive assentatores: quorum
alius clavos aureos crepidis suppactos gescit: alius, de ph-
blicis acturus negocys, pavimento purpurâ strato in am-
bulavit: alijs per quinq; stadia locum, in quo venabantur,
aulaeis cingere consueverunt.

Sed redeo ad nostros mores, & hujus contemplationem
seculi: in quo dum oculos non nisi ad convivia converto:
sanè, ne quidquam vanitati desit; quanta mibi se offert
copia poculorum, incredibili sumptu paratorum ex auro,
ex argento, ex lapidum pretiosissimorum varietate! qua-
non

PARALLELA MORUM SECULI.

non luxuries se ingerit in tanto apparatu suppellectilis, in
 vasis, & mensis, & sellis, & tapetis & balneis & pulvinis,
 & Xystidibus & stragulis & lectisternijs! tanta scilicet:
 ut nec numero eam comprehendere, nec verbis adsequi sa-
 tis valeam. Viciissim tamen & antiquitas harum rerum
 prodigia fuit. Ne enim vasa illa ex ere Corinthiaco: aut
 alia ingenti precio coempta, è priscorum annalibus repe-
 tam: Vos auditores recolite memoriam statum præteriti
 temporis: quo Clemens Alexandrinus, in vectus in Chri-
 stianorum mores, ita alloquitur omnes, saluti suæ benè cu-
 pientes: Videte Christus in vili catino cibum sumpsit, Clem. Ale-
xand. lib. 2.
Pædag. c. 3.
 & fecit discipulos super herbam accumbere, & pedes
 eorum lavit linteo accinctus, Deus à fastu alienus &
 Dominus omnium: sanè non argenteum lavacrum è
 cœlo deferens. Et à Samaritana potum petijt, quæ a-
 quam vase fictili hauriebat è puteo; aurum regale non
 requirens: in convivijs autem comedebat & bibebat:
 non terræ metalla effodiens; neq; auri & argenti, hoc
 est, rubiginem redolentibus vasculis utens. Illa verò,
 quæ sequuntur, quo numero sunt habenda? Res est, inquit,
 planè ridicula, & digna maximè, quæ ludibrio habe-
 tur; argentea urinæ receptacula, & vitreas matulas in-
 ferre viros, quemadmodum suos introducunt consi-
 liarios: & has sine ratione divites mulierès, ex auro fa-
 cere exrementorum receptacula: ut ne egerere qui-
 dem eis liceat absq; superbia: quas velim quidem per

totam vitam aurum stercora existimare: posteaquam
arx vitij inventa est pecunia & cupiditas. Postularet tan-
dem ut mibi videtur natura, exigeret ratio, ipsa flagita-
ret aequitas: ut cum expirante animo, & à corpore divor-
tium faciente, omnis quoq; luxuria, & prodigalitas & o-
stentatio & fastus & vanitas exularet. Istud verò miri-
mè omnium fieri, illi nos docebunt actus; cum solennibus
funerationibus in ossuaria sua reconduntur cadavera, eo-
rum pr̄esertim, qui vel in dignitate, vel splendore munt-
ris, vel opinione Virtutis, vel in delicijs fortunæ vixerint.
Qui enim domi apparatus vestiarij in familiam, in pro-
pinquos, in necessarios? Quid non impendendum in Sitti-
cines, lecticas, sandapilas? Quot in pompa elationis nume-
rantur Cerei, imagines, & armagentilitia, pretiosè sive
penicillo, sive acu, opere Phrygio picta? equorum verò in-
tegumenta, clypeorum ornatus, vexillorū, armorumq;
aliorum ostentatio, quid quoq; mediocritatis habet? ubi
conditorio ex pretiosissimis lapidibus, sumptuosò labore
ductis putrilaginosum corpus intulerint: cenotaphijs po-
stea ad omnem splendorem apponendis: quasi arcus trium
phales magnificè essent extruendi: postea domum est re-
deundum. Quo? in domum, opinor, mœroris; ubi lugen-
tium animi revocentur ad doloris mitigationem. Re-
verò se longè aliter habet. Convenitur enim nec exigu-
solennitate: ut omnibus ciboru lauitijs convivæ pascan-
tur: potandi autem certamina tanta instituantur imma-
nita-

PARALLELA MORUM SECULI.

nitate; ut omnis consolandi mœstus, occasio elabatur. Perstre punctum Triclinia clamoribus: omnia ad lætitiam compo-
nuntur: nec quicquam differt cœna ejusmodi exequialis
ab epulo nuptiali: nisi quod hic instrumenta musica perso-
nen liberius: choreæ etiam exerceantur: illic lugentis au-
toritas impedit cantandi saltandi, usum ('nescio an &
semper) post funerationis solemnitatem. At nihilomi-
nus & Amasij congregiuntur hinc inde: & quod misera-
bile raro disceditur ab ejusmodi compotorum conventicu-
lis: quin sanguine etiam humano, in ista gladiorum impu-
nitate manib. litetur. Fiunt ista, fiunt, nec negabit quis-
quam cui explorata seculi consuetudo fuerit. Videamus
tamen ex adverso mores veterum: ut appareat etiam hac
in re homines semper sibi fuisse similes. Nam & apud Gra-
cos & Romanos, Aegyptios, Illyricos, Judeos, Persas, ex-
quisita lotione detergebantur corpora: tum eadem sale,
nitro, cedro, asphalto, melle, cera, myrrha, &

Euripides in
Phoenissis.

Aelianus lib.
4, varix hist.
cap. 1.

Apulei apol.
1.

Corippus de
funere Iusti-
piæ.

Odoro Balsama succo

Centum alia species, unguentaq; mira feruntur

Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Vestitus autem in funus prodeantium, baud exigui fuit
valoris: eo usq; etiam; ut Lacedæmonij purpurâ amictos
extulerint, sèpè sine discrimine dignitatum: apud Roma-
nos verò etiam matronæ speciosissimâ veste ad sepulchrū
deduceretur; harum filij si magistratus Curules gessissent.

Plutarch. de
Lycurg.

Propert. l. 4.
Eleg.

Dion. Hal.,
l. 11.

Quæ non impensæ factæ fuerunt in coronas & defunctile-
tum; quantum fuit erogandum in pollinctores, libitina-
rios,

Plin. lib. 22.
c. 3.

Sidon. l. 2. rios, tubicines, tibicines, præficas; varias imagines, que
 ep. 8.
 Cicero 2. de nobilissimis quibusq; præferri in lectis solebant: ipse vero
 Orat.
 Liv. lib. 48.
 Sueton. in
 Cesar.
 Lucian. in
 Nigra.
 Cesar. lib. 6.
 b. n. galli.
 Cic. 5. Tus. q.
 Div. Sic. lib.
 4. c. 1.
 Cyprian. dc
 tripl. mart.
 suis extremo funere comburi: a quo nec Æthiopes, nec
 Scythæ, nec Heruli abhorruisse perhibentur. Epulas vero
 & privatas, que silicernia appellabant, & publicas ade-
 brietatem usq; cædes fuisse institutas, etiam in Ecclesie
 am receptas, gravissimi patris querelam accipite: Temer-
 lentia adeò communis est Africæ nostræ, ut propemodum,
 non habeatur pro criminе. An non videmus ad Mar-

Procop. lib. tyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebræi-
 a. de bell. tatem? An hoc levius crimen esse dicimus, quam Baccho
 hircum immolare? Quid præterea accessit mali? Viri
 quog; homines; sive capti bello fuerant, sive servili erant
 conditione ad rogum Illustrium Virorum, cruentâ lanier-
 Tertull. lib. de Spect. Dyon. Hal. nà maëtabantur. Taceo Mimos & Scurras, & histrio-
 l. 7. nes qui etiam in funerib. indicti vis admittebantur. Non

Seneca de brev. vita. multa expromam de ludis gladiatorijs: qui etiam exte-
 Cic. pro Syl- stamento in privatorum funeribus dabantur; non viro-
 li.
 Senec. 4. n. 1. rum modo sed & fœminarum; domino funeris prætextam
 tural. quest. induente, accenso insuper utente atq; lictoribus: designa-
 c. 13.
 Cic. 2. de le- tore deniq; ordinem ac sessuris locum monstrante: sella in-
 gibis.
 Tertull. de Spec. super mortuis in theatro honoris causâ positâ. Sed quis

Dio. lib. 50.

- omnes

PARALLELA MORUM SECULI.

omnes minutiarum apices consectetur? Futurum verò
 judico pretium opere; si ad animum porrò admittamus:
 nullum audiri calumniae genus delationisq; hoc seculo pos-
 se: quin plurimis ante nos annis solenne item fuerit; secre-
 tis criminacionib. infestare ignaros: Et quò incautiùs la-
 queo inducerentur, palam! audibus vehere. Obtinue-
 runt hoc clanculariū susurrones apud bonos etiam viros;
 quibus imposuerat, nihil circumspicientibus, vel impru-
 dens simplicitas, vel ex opinione multa, ex re pauca asti-
 mans credulitas, mater erroris, noverca consilij. Atq; illi
 tum maximè in dubium vocarunt innocentum probita-
 tem apud tyrannos; quibus illud proprium quodammodo
 est, vetustate validum: quòd, que inviti audiunt, liben-
 ter credunt: Et antè irascantur, quām judicaverint. Ti-
 berius lucri questusq; gratiā tantùm tribuit accusatori-
 bus: ut nemini non fidem adhiberet: seu quid veri refer-
 ret; sive etiam in tantis animorum recessibus falsa com-
 minisceretur; fumum pro igne, pro Junone nubem, ut dici
 consuevit, venderet. In Domitianā aula que non pestis
 grassabatur inter caußidicos? Quid Hadrianus? cate-
 ra optimus princeps: una in re nec satiscautus; nec officij Spartian.
 diligens: quòd utraq; aure delatorib. patens, Tatianum,
 Nepotem, Septitium, Clarū, alios, sequiore tantùm addu-
 etus rumusculo, hostili odio persecutus fuit. An est nota-
 tus hoc crimine Herodes? qui innocentissimum quemq; ut Joseph. lib. r.
 erat calumniosè traductus, è vestigio raptum trucidavit. bel. Iud. c. 17.

Senec. 2. de
ira. cap. 22.

Senec. 3. de
benç. c. 26.

Sueton. in
Domit.

Baron. tom.
3. annal.

Numquid venia meretur Constantinus? postquam Anastasium, nullius convictum sceleris, in exilium pepulit, præter jus & boni moris consuetudinē: oblitus, quod reminisci oportebat; innocentē fore nemine, si accusasse sufficiat. Accedat buc quoq; invidia, socia ut plurimum calumniae, aut certe pedissequa. Res n. est exploratissimæ fiduciæ: non beri bodieq; sed à jactis mundi fundamentis, sub quovis cælo, osores habuisse illum & invidentes: cui vel eminere contigerit virtute, vel felicitate provehi. Ponite vobis anteculos Atticā apud Græcos & Lacedæmoniorū Rempublicā: atq; illinc pedem referētes, ipsam florentis triumphantisq; Romæ majestatem cōtuemini: nullum profectò invenietis ingenium, aut naturā amoenū, aut politum doctrinā, aut deniq; celebritate nominis illustre; quod non dejectum sed suā fuerit, cum famæ, fortunarū, s&p; etiā naufragio vita. Periclem Simmias oppugnavit; Alcmaeon, Themistoclem; Epaminondā, Meneclides; Pompejū, Cæsar; Ciceronē, Antonius; Antonium, Octavius. Ne plura consecer, quæ pro pè sunt infinita: invidenter omnes (ait Tullius) maximè parib. aut inferioribus: cum se relictos sentiunt; illos aut dolent evolasse: sed & superiorib. invidetur s&p; vehementer: & eò magis; si intolerantiū se jactant, & æquabilitatē cōmunis juris p̄stantiā dignitatis aut fortunæ suæ transeūt. An superest, ut nos soli amicitia doleamus, fuso incrustatam & fallacijs? Frustra sumus; parumq; benigni rerū estimatores: cùm vix priscis temporib. uno

Cicer. 2. dc
orat.

PARALLELA MORUM SECULI.

uno seculo duo paria exstiterint; qui & in amicitia fecerint paria; quorum mens & lingua diuortium non admisserit. Jam diu est ex quo

Illud amicitiae quondam venerabile nomen

Ovid. 2. de
Pont. eleg. 3.

Prostat, & in questu pro meretrice sedet.

Jam diu est; cum Plauti verbis

Multi more isto atq; exemplo vivunt: quos cum censemus

Plaut. in Bac.
chid.

Esse amicos, reperiuntur falsi talismanijs,

Linguâ factiosi, inertes operâ, sublesta fide.

Perspicitis, opinor, Auditores; quam latus mihi campus
pateat: in quo excurrere possim; nec orationem tantum
comparare, ad horâ unius dimensum; sed volumen conscri-
bere justæ magnitudinis: si permettere tantum vel dictio-
ni meæ, ut evagetur, vel calamo velim. Sed ut est boni nau-
ta, vela complicare, & ad remigare littori prius, quam spi-
rare secundi venti desierint: ita ego animum induco meū,
& sic statuo: aquum esse perorare cum aliquo residuo audi-
entium desiderio; nō dilatare orationem cum satietate ac
fastidio eoru; ad quos verba facimus. Quid n. restat am-
plius? nihil quantum ego conjecturâ assequor; in quo qui-
dem probatio ulla desiderari posse videatur. Sive n. bla-
sphemos audiamus nostri seculi, sive perjuros; sive Ecclesiæ
contemptum: accepistis; quam ampla seges istiusmodi ho-
minū luxuriaverit inde usq; ab antiquitate remotissimâ.
Deinde planum fecimus: quæ in liberis nostris requirimus
officia; quæ à parentib. exigat Deus ipse: ea neglectim ha-
bita undiquaq; fuisse, & nunc solim. quæ proximo debeat

H y mus,

mus, prævaricatione multivariâ fuisse violata quacunq;
mundi intemperie: semper innotuisse frequenti usu, cedes,
parricidia, ebrietatis certamina ad necē usq.; semper va-
gari solitas libidines incestuosasq; voluptates: semper fur-
ta, rapinas, fraudes in commercijs: semper, qui sua misere-
prodegerint, deprehendi consuevisse: semper calumniam,
invidiā, inimicitiā fictā specie insidias parasse bonis men-
tibus: ea omnia in apertū eō usq; produximus: ut, qui ne-
gare velit; eum nō in capite amplius, sed in calcaneo cere-
brum gestare dixerim. Nolim autem hic excipi Catoniano
quodam scōmata: quasi ita sim injurius examinator tem-
porum: ut existimē, sive etiam verbis dissimulē: nunquam
Virtuti locum inter homines contigisse. Minimè erit beni-
gnus interpres sententia meæ: quisquis summā rei perperā
exponet. Nam & præclaros viros non defuisse unquā: & in
ipsa barbarie, tamen honesti aliquas emicuisse scintillas; si
id negem: nivem etiam albam esse, cum Anaxagora negat.
Quò ergò pertinet oratio nostra? Ut in confessio sit: quan-
quam sepe regnum aliquid Virtutis fuerit: Vitiorum ltu-
men interregnū fuisse diuturnius: pluresq; in castris Tur-
pitudinis, quam sub vexillo Virtutis stipendia meruisse.
Nam quòd ille ex dolio Philosophus, mediâ luce, accensâ
face, homines querit: quid est aliud? quam rarū esse pro-
ventum bonorum omni seculo: malorum verò copiā nimis
uberē. Porrò ego præsentire mihi videor: posse hic adver-
sus me insurgere sermonis alium quendam aucupē, captus
torem

PARALLELA MORUM SECULI.

torem syllabarum, nugarum architectum: Ex nobis per-
contari: Tūne ergo tam fœdam mundi larvā probas, quā
eratione tam operosā persequeris? Tūne delitias huic cœ-
tui facis cōmendatione vitiorū? Non id ago, Auditores.
dicendū est iterum: non id ago. Vos enim, si qui mortaliū,
perspicitis oculatissimis vestris animis: nō perinde esse ap-
probare, Enarrare: discriminari inter se spatijs longissi-
mis, recensere & calculum addere. Quod si inficiandū ef-
set captiunculis; quid obstaret? quò minus ipse Spiritus S.
commendare crederetur flagitia longè tēterrīma: quæ in
sacrum codicem referri voluit; nō ut imitaremur; sed fu-
geremus turpia, honesta appeteremus. Non alia nobis est
mens animi: nisi ut, rebus omnib. post habitis, agnoscamus
labem nostram originariā, quotidianā aut amvitiositate
& malitiā. Descensuri hoc modo in nosmet ipsos ubi explo-
ratū habuerimus hac contemplatione: nihil fuisse in mun-
do ita unquam depuratū à vitijs; quod odorē exhalare po-
tuerit, gratum Deo ter sanctissimo: adigemur sanè, extra
nos, planeq; extra mundum querere salutē nostram, & pu-
ritatē & sanctimoniam. Accedat huc & illud: quod ipsā
re cōmonefacti, ac multiplici opere, diaboli potestate cre-
damus esse ingentē: qui tantum valet in filijs incredulita-
tis, & ijs, qui conformantur seculi moribus: quantum ipse
Deus peccata mortaliū odit, execratur: neq; hoc tantum,
sed omni tempore in quocunq; populo pœnis adfecit longè
tristissimis. Neg; verò mundi uniformē turpitudinē tra-

H ij bat

bat quisquam in argumentū vel securitatis, vel licentio
impunitatis. Fuit omne seculum variè obnoxium criminib
us: an ob id placeamus nobis in communione scelerū? an
utendū patrocinio vitiōse & consuetudinis? Minimè genti
um. Est n. juxtā & hoc ita verum; ut à nemine infirmari
queat: semper homines ob publicē & privatim admissa fur
gitia, publicē privating, horrendis supplicijs in ordinē fur
isse coactos. Itaq. si feliciter agere in votis habemus; ut ha
bere debent omnes, quib. stilla ingenui sanguinis supereſt:
si terræmotus, si aquarum eluviones, si pestilitatis cōtagi
um, si ferarum letales incursiones; si bella, famem; si deniq.
æternæ damnationis cruciamēta avertere à cervicib. no
stris, & declinare animā cupimus & corpore: necesse omni
nō est, ea nos vitia respuere auribus, detestari lingua, &
versari totā vita actione; quib. omnium seculorum memo
riā, ira Dei in transgressores nullo non pœna genere & ca
lamitate effusa fuit. Frustra ergo accusamus iniquitatē
temporis: qui intus gerimus capitalem hostem; cuius vi
tioso appetitu efficitur; ut nos injury reperiamur in ipsum
tempus: quo nec ad laudem Dei utimur, ut par foret; nec
in salutem nostram; nec in aliorum solatium, ornamenti
aut incrementum. Corrigamus tandem, si sapimus, vitia
nostra: & tempori nihil erit, quod imputare possimus. Quo
nomine si quid proficiisci ex me poterit, commodū in primis
juventuti, cuius salus mihi suprema lex erit: perficiā pro
fectō, quantū in me erit (quod quantillum sit, Pater omnis
boni

PARALLELĀ MΟRUM SECULI.

boni excitet) ut Illustris Fundator bujus gymnas I, exem-
 plum pia magnificētiae, & magnifica pietatis, intelligat
 ipse; cumq; eo omnes boni: nec industriam mibi in officio,
 nec erga collegas fidem, nec auditoribus amorem meum &
 studia unquam defuisse. Hujus diei vocē testē toti gymna-
 siare linquo me & perpetua erga se voluntatis. Vos modō, a-
 dolescentes & juvenes (ad vos enim me a se convertit ora-
 tio) ne induite vitiorum larvam: turpis est, est sordida,
 est noxiosissima: quæ oblitterat planè ac delet, quicquid de
 imagine divinæ majestatis reliquum in vobis fuerit. Utq;
 cynosuram quasi quandam habeatis, ad quā conficeret vite
 cursum liceat: collega noster, qui cathedram jamjam con-
 scendet, leges Vobis promulgabit ac statuta: quæ dudum
 auctoritate Magnificentissimi Fundatoris Senatus Ve-
 ster rogavit atq; Magistratus: cui idem Generosissimus
 Patronus hoc tempore universum regimen gymnas I sui
 commisit. Vestrū erit, non menti tantum leges inscribe-
 re: quod quidem apprimē facere decet: sed insuper quavis
 vītæ parte, cùm hoc sacramento obstricti, sub vexillis no-
 stris stipendia faciat, exprimere. Nam si placere sibi
 quisquam, atq; licentiam indulgere ausit in delictis: nihil
 dicam amplius. Verebor enim; ne, quod dudum à pessimi
 Cesaris magistro optimo dictum accepimus; identidem &
 veriverbio iterare atq; reiterare necesse habeamus: Hoc Senec. I. de
benef.
 maiores nostri questi sunt; hoc nos querimur: eversos
 esse mores; regnare nequitiam; in deterius res huma-
 nas, & in omne nefas labi. Speremus meliora!

Et tu stelliferi qui templa micantia mundi
 Incolis, & certo dispensas omnia nutu:
 Porridge de cœlo, Deus optime, porridge dextram;
 Sancte parens, hominum miti res adspice voltu.
 Te sine nil sanctum mens inchoat: impete vasto
 Labimur in præceps, heu prodiga turba salutis.
 Porridge de cœlo, Deus optime, porridge dextram
 (Nam potes) & motus animi compelce rebelles:
 Et sœvos hominum mores, & pectora lœva
 Flamine ter sancto, verboq; potente refinge.
 Porridge de cœlo, Deus optime, porridge dextram:
 Ne stolidi sanctum si fortè laceſſere Numen
 Pergimus, & scelerum furijs jaſtamur & cœstro;
 Ardescas vindex Deus exstimalatus in iras,
 Et mortale genus poenas expendat in Orco.
 Porridge de cœlo, Deus optime, porridge dextram.
 Stet ſolida, Iuſtris, Quercus tibi ſacra, Patroni:
 Neu feriat sanctum caput illætabile fatum:
 Perpetua cuius gaudent reſidere ſub umbra
 Et Pietas, Charitesq; & turba Novenſilis, ipſe
 Phœbus, & alma Sais, Sophie, Themis & Meditrina.
 Porridge de cœlo, Deus optime, porridge dextram,
 Ritè vocata Salus bipatentibus obtegat alis
 Quotquot in hoc faciles efflorefcente Lycéo
 Auribus adfatus nostros, & fronte ſerenâ
 Admitere: fluant illis liquidissima mella.
 Hoc voti caput eſt, & meta extrema ſalutis.
 Porridge de cœlo dextram, Deus optime. D I X I.

•OS(+)S•



